

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATI^NE_S

VOL. XXXI - N. 1

1999

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 1999

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos	5
---	---

ACTA SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS

Elenchus privilegiorum et facultatum S.R.E. Cardinalium in re liturgica et canonica	11
---	----

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

Instructio <i>De cooperatione missionali</i>	14
--	----

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

Lettera circolare ai Presidenti delle Conferenze Episcopali circa la revisione dei loro Statuti	34
--	----

ACTA CONSILII

RESPONSUM AD PROPOSITUM DUBIUM una cum commentatione Exc.mi Praesidis	38
QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	50

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Sacramentis » (Sessio V)	53
Coetus studiorum « De Sacramentis » (Sessio VI)	116
NOTITIAE	164
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	165

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

COETUS STUDIORUM «DE SACRAMENTIS»

Sessio V
(dd. 2-6 martii 1970 habita)

Diebus 2-6 martii 1970; in aula Sedis Commissionis Codicis Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC de Sacramentis (solo excepto sacramento matrimonii). Convenerunt in aula inde ab hora 9,30 a die 2 martii 1970: Exc.mus Schneider, Exc.mus Charue, Ill.mi Sessolo, Medina, M'Bunga, Rev.mi Patres Bertrams, S.I., Leite, S.I., Abellan, S.I., et Ill.mus W. Onclin, Commissionis Secretarius adiunctus, qui munere praesidis functus est, atque Rev.mus N. Pavoni, adiutor a studiis. Non adfuerunt Exc.mi A. Oldani, I. Matulaitis-Labukas, I. Vaivods, C. Kurteff, Rev.mi V. Carbone, I. Rybczyk, legitime impediti et Rev.mus Pater O. Semmelroth S.I. infirmitate impeditus.

Quaestio proposita, in hac sessione, tractanda erat: recognitio canorum de Baptismo (cann. 737-779); de Confirmatione (cann. 780-800); et de Sacramento infirmorum (cann. 937-947).

Vota de quaestionibus propositis paraverunt Exc.mi Schneider, Matulaitis-Labukas, Charue; Rev.mi Sessolo, Medina, Bertrams, Abellan, Leite.

Antequam tractetur de recognoscenda legislatione de Confirmatione et de Sacramento infirmorum, reconsiderantur canones de Baptismo in sessione antecedente probati.

I

DISCEPTATIO DE SACRAMENTO BAPTISMI

RECOGNITIO TEXTUS CANONUM IN SESSIONE IV PROBATORUM

Ad textum aliquorum canonum tantummodo, animadversiones faciunt Coetus Consultores, proponentes ut quaedam introducantur mutationes in textu, qui in anteriore sessione adprobatus est.

Can. 1 (CIC 737)

Ad § 1: Rev.mus primus Consultor animadvertisit validitatem baptismi non semper pendere a praescriptis verborum formis, itaque praefert ut mutetur forma huius canonis.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod hodie forma verborum maximum momentum habet et animadvertisit hanc formulam ab ipso iure divino ortum habere: «euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti...» (*Mt 28, 19-20*). Proponit ipse Rev.mus sequentem formulam: «cum praescripta a Christo verborum forma».

Rev.mus primus Consultor censem in Codice sermonem faciendum esse tantum de liceitate, ideo faciendam non esse distinctionem inter validitatem et liceitatem.

Rev.mus secundus Consultor declarat quod illa verba inserviunt ad distinguendum inter ea quae essentialiter dici debent et ea quae non dici debent. Animadvertisit verba illa iam haberi in CIC et numquam accusata fuisse nimiae rigiditatis.

Rev.mus tertius Consultor praefert secundam formulam paragraphi 1.

Placet omnibus textus paragraphi primae, in seconda formula propositus.

Ad § 2: Rev.mus primus Consultor non videt necessitatem distinctionis inter «forma sollempni et forma simpliciore» et praefert verbum «celebratur» loco «ministratur».

Rev.mi quartus et quintus Consultores preferunt verbum «ministratur», quia requiritur forma iuridica.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur «forma sollemniore» loco «forma sollempni».

Placet omnibus.

Omnes Consultores, excepto Rev.mo primo concordant ut adhibeatur verbum «ministratur», non «celebratur».

Caput I

DE MINISTRO BAPTISMII

Can. 2 (CIC 738)

Ad § 1: Rev.mus secundus Consultor proponit ut omittantur verba «necnon servatis... praescriptis». Rationes allegantur:

- 1) formula est nimis restrictiva quia disciplina de re liturgica aliquando habetur etiam in Synodis dioecesanis, non tantum in libris liturgicis;
- 2) per se non dantur novi canones in libris liturgicis;
- 3) libri liturgici habent valorem particularem.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod etiam praescripta librorum liturgicorum habent valorem universalem. Ipse proponit sequentem formulam: « ... necnon servatis aliis quae habeantur praescriptis iuris sive particularis sive universalis ».

Rev.mus quintus Consultor proponit sequentem formulam: « servatis aliis quae habeantur iuris praescriptis, etc. ».

Notat Rev.mus Secretarius ad. quod formula « salvo iure Parochorum » significat ipsum parochum per se ius ministrandi Baptismum habere.

Rev.mus primus Consultor petit quid significet in § 1 « Minister ordinarius ».

Respondent Rev.mus quintus Consultor quod minister ordinarius ille est qui vi suae ordinationis potestatem habet ministrandi baptismum.

Respondent autem Rev.mus Secretarius ad. quod ad exsecutionem tamen ipsius potestatis requiritur aliquid iuridicum, scilicet missio canonica.

Etiam Rev.mus secundus Consultor distinguit inter potestatem quam minister habet vi suae ordinationis et decretum exsecutionis eiusdem potestatis quod est aliquid iuridicum et declarat quod in § 1 sermo fit de ordine iuridico non theologico.

Rev.mus sextus Consultor proponit formulam sequentem: « Baptismus ordinarie conferatur a Sacerdote aut a diacono: Minister ordinarius sollemniter ministrat; sed eius collatio servetur Parocho... etc. ut in can. 738, § 1 ». Quae formula non placet.

Omnis Consultores concordant ut § 1 maneat uti est.

Ad § 2: Exc. mus septimus Consultor proponit ut omittatur verbum « eorundem ». Placet omnibus.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut loco verborum « imminente mortis periculo » ponatur formula « in casu necessitatis ». Placet omnibus.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut in canone aliquid dicatur de illis qui non sunt proprie catechistae, qui nempe baptismum administrant ubi pauci habentur sacerdotes.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. catechistam legitime deputatum esse. Placet textus § 2, cum emendationibus admissis.

Can. 3 (CIC 744)

Rev.mus sextus Consultor censem omitti posse reservationem loci Ordinario in baptismo adulorum.

Respondet Rev.mus primus Consultor quod formula « ubi commode id fieri possit » restrinquit ipsam reservationem.

Exc.mus septimus Consultor concordat cum Rev.mo sexto, quia non videt rationem cur baptismus adulorum deferri debeat ad loci Ordinarii. Refert ipse Exc.mus quod in Germania adulti a parocho baptizantur, inscio Episcopo.

Canon tamen servatur uti est: omnes, excepto Rev.mo sexto Consultore, consentiunt.

Quaestio de canone 739

Rev.mus Secretarius ad. ante disceptationem de subiecto baptismi (Cap. II) quaestionem ponit utrum can. 739 – « In alieno territorio nemini licet, sine debita licentia, baptismum sollemnem conferre ne sui quidem loci incolis – » poni debeat ubi de loco Baptismi, an in hoc capite primo.

Ipse Rev.mus Secretarius ad. proponit ut canon relinquatur in hoc capite quia in eo agitur de possibilitate Ministri in alieno loco ministrandi. Proponit etiam ut in ipso canone dicatur « sollemniorem » loco « sollemnem ».

Rev.mus primus Consultor censem canonem 739 omitti posse quia iam in can. 2 (738) dicitur « salvo quidem iure parochorum... ». Ad maiorem claritatem proponit ut adiungatur formulae « salvo quidem iure parochorum », verbum « loci » ita ut can. 739 assumatur canoni 2 (738).

Fit suffragatio: secundum omnes, exceptis Rev.mis quinto et tertio Consultoribus qui se abstinent, canon servari debet in hoc capite, uti est.

Caput II**DE BAPTISMI SUBIECTO***Can. 4 (CIC 745)*

Placet omnibus uti est.

Can. 5 (CIC 747)

Placet omnibus uti est.

Can. 6 (CIC 749)

Rev.mus sextus Consultor aestimat in regionibus christianis praesumi posse quod infans expositus aut inventus baptizatus est, non vero in regionibus paganis.

Textus placet uti est secundum omnes.

Can. 7 (CIC 750-751)

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem textum in antecedente sessione promissum: « § 1. Ut infans licite baptizetur, oportet:

Iº Ut spes habeatur fundata eum in religione catholica educantum iri;

2º ut parentes, saltem eorum unus, aut qui ad norman iuris eorundem locum tenent, consentiant, nisi tamen eidem ius suum nullo pacto exercere queant.

§ 2. Infans, sive parentum catholicorum sive etiam non catholicorum, qui in eo veretur vitae discrimine ut prudenter praevideatur moriturus ante quam usum rationis attingat, licite baptizatur, dummodo ambo parentes aut ei qui ad norman iuris eorundem locum tenent non sint formaliter contrarii ».

Ad § 1: Rev.mus sextus Consultor, ad § 1, n.1, aestimat hanc norman practice difficilem esse. Rev.mus Secretarius ad. respondet quod requiritur tantum ut habeatur positive illa spes. Rev.mus primus Consultor refert sequentem praxim in propria natione servari: parentes ante baptismum vocantur et a sacerdote certiores fiunt de officiis ex baptismo manantibus: si sunt concordes, baptismus confertur; secus baptismus negatur.

Omnes Consultores, excepto Rev.mo sexto Consultore concordant ut § 1, n. 1 maneat uti est.

Rev.mus Secretarius adiunctus ad § 1, n. 2, proponit ut ultima pars scilicet « ... nisi tamen iidem ius suum nullo pacto exercere queant », omittatur; quod omnibus placet.

Rev.mus primus Consultor, ad § 1, n. 2, proponit ut omittantur etiam verba « ad norman iuris ».

Rev.mus quintus Consultor vero proponit ut loco « ad norman iuris » dicitur « legitimate »; quod placet omnibus.

Rev.mus sextus Consultor notat quod de infantibus expositis curat Status; ergo censet requiri etiam consensum Status.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod non potest statui obligatio vel non obligatio Societatis civilis, quia leges civiles possent esse iniustae.

Concordant omnes Consultores de emendationibus a Rev.mis quinto Consultore et a Secretario ad. propositis. Itaque textus § 1, n. 2, erit: «ut parentes, saltern eorum unus, aut qui legitime eorundem locum tenet, consentiant».

Ad § 2: Rev.mus quintus Consultor proponit ut loco «formaliter» dicitur «omnino». Rev.mus Secretarius ad. praefert vero verbum «expresse» loco «formaliter». Concordant omnes de verbo «expresse».

Ipse Rev.mus Secretarius ad. proponit ut etiam in § 2 loco verborum «ad normam iuris» dicatur tantum «legitime».

Placet omnibus. Itaque textus erit: «Infans, sive parentum catholicorum sive etiam non catholicorum, qui in eo versetur vitae discrimine ut prudenter praevideatur moriturus antequam usum rationis attingat, licite baptizatur, dummodo ambo parentes aut ei qui legitime eorundem locum tenent non sint expresse contrarii».

Can. 8 (CIC 752)

Ad § 1: Probatur ab omnibus.

Ad § 2: Rev.mus sextus Consultor praefert verbum «habuerit» loco «habeat» et verbum «baptizari debet» loco «baptizari potest».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod ad primum praferendum est verbum «habeat» quia requiritur ut adultus in illo momento habeat cognitionem de veritatibus fidei; ad secundum, censet praferendum esse verbum «potest» quia decisio iudicio ministri relinquitur.

Proponit suffragium utrum praferendum sit verbum «baptizetur» an «baptizari potest».

Omnes, exceptis Rev.mis primo et sexto Consultoribus, praferunt tex-tum uti est.

Can. 9 (novus)

Rev.mus quartus Consultor ad § 2 proponit verbum «rite» loco «certo».

Rev.mus primus Consultor proponit formulam «qui a Ministro non catholico baptizatus est» loco «qui extra Ecclesiam Catholicam baptizatus est».

Rev.mus Secretarius ad. proponit vero formulam sequentem: «qui ex-tra communitatem catholicam baptizatus est».

Rev.mus quintus Consultor suggerit aliam formulam idest: «qui in ali-qua communitate christiana baptizatus est».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod Coetus iam admisit loco formulae «Communitas Christiana» dicendum esse «Communitas Ecclesiælis»: proponit sequentem formulam: «qui in aliqua communitate ecclesiæli non catholica baptizatus est...», quae formula omnibus placet.

Rev.mus primus Consultor non concordat de verbis «attenta intentio-ne Ministri» quia declarat quod si forma recta est, intentio adest; praeterea censem non esse faciendam inquisitionem de intentione ministri.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut loco «forma usitata» dicatur «forma applicata».

Rev.mus Secretarius ad. vero proponit sequentem emendationem «for-ma in baptismo collato adhibita»; quae emendatio ab omnibus probatur.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut omittatur verbum «liturgica». Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod verbum «liturgica» servandum est quia «forma liturgica» est criterium validæ collationis baptismi. Concordant omnes ut maneat verbum «liturgica».

Itaque textus § 2 erit: «Qui in aliqua communitate ecclesiæli non catholica baptizatus est, præsumitur valide baptizatus et baptizari non potest, nisi inspecta liturgica forma in baptismo collato adhibita, necon attenta intentio-ne ministri baptizantis, constet in casu baptismum invalide fuisse collatum».

Animadvertisit Rev.mus secundus Consultor casum de quo in can. 6 in-cludi in § 1 huius canonis 9.

Assentit Rev.mus Secretarius ad. declarans agi de eadem regula, sed præfert ut maneat sive textus canonis 6 sive textus canonis 9 § 1.

Rev.mus sextus Consultor declarat quod est contradicatio inter § 1 et § 3, nam in § 1 dicitur: «... qui dubie baptizatus est... baptizatur», e contra in § 3 dicitur: «... quodsi... dubia remaneat baptismi collatio... bapti-smus ne conferatur...».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod in § 3 requisita determinan-tur ut quis baptizari possit.

Consultores concordant ut § 1 et § 3 maneant uti sunt.

Caput III

DE RITIBUS ET CAEREMONIIS BAPTISM

Can. 10 (CIC 756)

Rev.mus primus Consultor suggerit ut in matrimonio mixto habeatur norma clara; orientales in matrimonio mixto semper conferunt Baptismum in ritu patris; si unus tantum parentum sit catholicus, ex gr. si pater est

orthodoxus et mater catholica, orientales baptismum conferunt in ritu patris et non permittunt ut filius baptizetur in ritu matris.

Rev.mus quintus Consultor declarat quod si datur casus in quo pater orthodoxus et mater catholica, si filius baptizatur in ritu patris, baptismus esset illicitus: hic agitur tantum de liceitate. Ipse proponit ut loco «baptizari debet» ponatur verbum «baptizatur». Placet omnibus.

Textus § 1 erit: «Proles ritu parentum baptizetur».

Can. 11 (CIC 757)

Placet omnibus, uti est.

Can. 12 (CIC 758)

Placet omnibus, uti est.

Can. 13 (CIC 759)

Rev.mus primus Consultor declarat quod principium bonum est, hodie, multi petunt ut Baptismum in domo privata celebretur et Episcopi saepe saepius id concedunt.

Concordant omnes ut textus canonis maneat uti est.

Can. 14 (CIC 761)

Rev.mus tertius Consultor declarat quod nomen christianum in sua natione est nomen quod aliquid bonum significat sed non venit ex traditione christiana; sunt nomina pagana quae aliquid bonum significant tamen haec nomina non veniunt ex traditione christiana.

Etiam Rev.mus secundus Consultor non concordat cum verbo «christianum» quia multos populos, dicit, nomina propria habere, quae non possunt vocari nomina christiana.

Rev.mus quintus Consultor animadvertis multa nomina nunc christiana olim nomina pagana fuisse.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut textui adiungatur formula «attentis moribus populorum».

Rev.mus quartus Consultor proponit formulam: «nomen fidei christiane consonum».

Rev.mus primus Consultor proponit sequentem textum: «In imponendo nomine non detur nomen a sensu christiano alienum».

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem textum: «Curent parochi ut ei qui baptizatur non imponatur nomen a sensu christiano alienum»: quod placet omnibus.

Caput IV
DE PATRINIS

Can. 15 (CIC 752)

Rev.mus primus Consultor aestimat quaestionem de patrinis reliquendam esse Conferentiis Episcoporum, non raro parochi rogant ut non ad-sint patrini, quia secus non possunt quin ut patrinos admittant indignos, qui proponuntur a parentibus.

Exc.mus octavus Consultor proponit ut patrini in Sacramento Bapti-smi tollantur.

Concordant omnes Consultores ut textus maneat uti est.

Can. 16 (CIC 764)

Placet omnibus, uti est.

Can. 17 (CIC 765)

Rev.mus primus Consultor censet ad n. 2 verba «fratres seiuncti» male sonare et proponit autem ut dicatur «alii christiani».

Rev.mus Secretarius ad. proponit formulam sequentem: «qui ad com-munionem Ecclesiae catholicae plene non pertinent» loco verborum «fra-tres seiuncti».

Rev.mus quintus Consultor animadvertisit gradus varios haberi in non plena communione, et ideo ipsi non placet haec formula in hoc contextu; formula proposita est nimis vaga; proponit ut maneat textus «fratres seiuncti».

Rev.mus tertius Consultor proponit verba «fratres non catholici» loco «fratres seiuncti».

Rev.mus primus Consultor respondens ad Rev.mum quintum Consul-torem declarat quod spectato textu n. 2, formulae Rev.mi Secretarii ad. non videtur nimis vaga quia in textu dicitur etiam «si ad normam legit-imorum praescriptorum admitti valeant».

Rev.mus quintus Consultor praefert formulam «fratres seiuncti» quia clare significat fratres illos non esse in communione.

Ex.mus octavus Consultor petit quaenam sint normae de quibus sermo-fit in formula «ad normam legitimorum praescriptorum...». Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod normae illae se referunt ad decreta et docu-menta de orientalibus.

Omnis Consultores excepto Rev.mo primo Consultore praferunt ut dicatur in singulari «frater seiunctus».

Exc.mus octavus Consultor proponit ut ultima pars «unus saltem patrinus sit catholicus» sequenti modo mutetur: «non nisi una cum alio patrino catholico admittatur»; quod placet omnibus.

Itaque textus erit: «n. 2 religionem profiteatur catholicam; frater seiunctus si ad normam legitimorum praescriptorum admitti valeat, non nisi una cum alio patrino catholico admittatur».

Ad n. 3 Exc.mus octavus Consultor quaestionem ponit de sacerdotibus qui dispensationem obtinuerint ad matrimonium ineudum.

Respondeat Rev.mus Secretarius ad. quod in hoc casu sacerdos non est excommunicatus, neque degradatus, neque depositus.

Textus n. 3 placet omnibus uti est.

Ad n. 4 Rev.mus sextus Consultor non videt necessitatem ponendi verbum «coniux».

Placet tamen textus omnibus uti est.

Ad n. 5. Placet omnibus.

Can. 18 (CIC 766)

Numeri, 1, 2, 3 placent omnibus uti sunt.

Ad n. 4 Exc.mus octavus Consultor proponit ut tollantur verba «nisi necessitas urgeat» quia censet sufficiens esse ut habeatur venia superioris.

Rev.mus primus Consultor proponit particellam «aut» loco «et» ita ut textus sonet: «nisi necessitas urgeat aut expressa habeatur... ecc.»; quod placet omnibus.

Rev.mus Secretarius ad. praefert verba «in instituto religioso» loco «in religione». Placet omnibus.

Itaque textus n. 4 erit: «non sit in instituto religioso novitus vel professus, nisi necessitas urgeat aut expressa habeatur venia Superioris saltem localis».

Can. 19 (CIC 769)

Rev.mus sextus Consultor proponit ut omittantur verba «conscie semper».

Omnis concordant ut omittatur tantum verbum «semper» et de reliquo textus maneat uti est.

Caput V
DE TEMPORE ET LOCO BAPTISMI

Cann. 20-21 (CIC 770, 772)

Placent omnibus uti sunt.

Can. 22 (CIC 773)

Placet omnibus uti est cum sola emendatione verbi «sollemni» quod fit «sollemniore».

Can. 23 (CIC 774)

Rev.mus secundus Consultor proponit ut ad § 1 tollatur verbum «legitimo» quia supervacaneum est, nam agitur de iure cumulativo; placet omnibus.

Cann. 24-25 (CIC 775, 776)

Placent omnibus uti sunt.

Caput VI
DE COLLATI BAPTISMI ADNOTATIONE ET PROBATIONE

Can. 26 (novus)

Placet omnibus uti est.

Can. 27 (CIC 777)

Placet omnibus uti est.

Can. 28 (CIC 778 et novus)

Rev.mus sextus Consultor declarat has normas ponendas non esse in Codice, quia non sunt normae iuridicæ.

Placet textus omnibus uti est.

Can. 29 (CIC 779)

Rev.mus primus Consultor censet verba «in aetate adulta» non esse iuridicæ.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod aetatem adultam habet ille qui sufficiens habet iudicium de baptismo et habet facultatem decernendi ipse solus.

Rev.mus quartus Consultor declarat quod adultus opponitur infanti.

Exc.mus octavus Consultor quaestionem ponit de adultis qui sunt amentes. Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod amentes aequiparantur infantibus.

Canon placet omnibus uti est.

II

DISCEPTATIO DE CONFIRMATIONE (CIC 780-800)

DISCUSSIO GENERALIS

QUAESTIO DE SIGNIFICATIONE THEOLOGICA HUIUS SACRAMENTI IN VITA CHRISTIANA

Exc.mus octavus Consultor in suo voto scribit sequentia: «Praeprimis memoraretur significatio huius sacramenti in vita christiana. Ut notat Constitutio dogmatica de Ecclesia, sacramento confirmationis fideles perfectius Ecclesiae vinculantur, speciali Spiritus Sancti robore ditantur, sicque ad fidem tamquam veri testes Christi verbo et opere simul diffundendam et defendendam arctius obligantur. Confirmatio quoque est sacramentum initiationis christiana et valde in honore habendum est. Confirmatio est fundamentum missionis apostolicae, ut notat *Ad Gentes*: fideles per baptismum necnon per confirmationem ut membra viventis Christi incorporati et configurati, officio tenentur ad eius Corporis expansionem et dilatationem cooperandi, ut quamprimum illud ad plenitudinem adducant. De his omnibus nihil in Codice dicitur».

Rev.mus Secretarius ad. legit sequentem canonem, qui in lege fundamentali habetur: «*Can. 67, § 1.* Sacramento Confirmationis fideles perfectius Ecclesiae vinculantur, speciali Spiritus Sancti robore ditantur et ita ad fidem, tamquam veri Christi testes, verbo et opere simul diffundendam et defendendam arctius obligantur.

§ 2. Ministri originarii Sacramenti Confirmationis sunt Episcopi; illud tamen etiam Presbyteri, hac facultate sive ipso iure sive speciali auctoritatis

competentis concessione donati, conferre valent, servatis sacrorum canorum praescriptis».

Rev.mus quintus Consultor in suo voto scribit sequentia: «‘Ritus Confirmationis recognoscatur etiam ut huius Sacramenti intima connexio cum tota initiatione christiana clarius eluceat; quapropter renovatio promissionum Baptismi convenienter ipsam Sacramenti susceptionem praecedet’ (*Sacrosanctum Concilium*, 71). Puto opportunum esse, ut in canone introductorio haec confirmationis cum tota initiatione christiana connexio enuntietur, ideoque etiam renovatio promissionum baptismi statuatur habenda in administratione sacramenti».

Rev.mus Secretarius ad. censet adiungendum esse canonem in quo sermo fiat de intima connexione inter Sacram Confirmationem et totam initiationem christianam.

Rev.mus primus Consultor aestimat de hoc in Codice sermonem non esse faciendum. E contra Exc.mus octavus Consultor tenet in Codice sermonem faciendum esse de intima relatione inter Sacramentum Baptismi et Sacramentum Confirmationis.

DISCEPTATIO DE SINGULIS CANONIBUS CIC

Can. 780

Rev.mus quintus Consultor censet mentionem manus impositionis non esse omittendam, ita ut manus impositio cum unctione chrismatis et respectivis verbis servetur.

Etiam Exc.mi septimus et quartus Consultores necnon in suo voto Rev.mus nonus consentiunt ut canon maneat.

Rev.mus sextus Consultor dubitat num canon inserendus sit in CIC, cum satis constet ex libris liturgicis et ex theologia.

Rev.mus primus Consultor declarat quod canon manere debet, sed ne scit utrum hic sit locus necne ut aliquid dicatur de praevia renovatione promissionum baptismi et de Sacramenti celebratione intra Missam.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut adiungatur in canone formula sequens: «in probatis libris liturgicis».

Placet omnibus.

Can. 781

Exc.mus nonus et Rev.mus primus Consultores in voto scribunt canonem servandum esse.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut canon retineatur, sed in § 1 omittatur verbum «apostolico».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut ultima pars mutetur sequenti modo: «... vi iuris aut specialis concessionis ministretur».

Rev.mus sextus Consultor censet forte in § 1 addendum esse: «ab Episcopo in plena communione cum Sede Apostolica consecratum...», sec. Instr. S. Congr. De Sacr. 20/V/I A.

Exc.mus septimus Consultor legit sequentia ex proprio voto: «§ 1. Redigatur in hunc fere modum: 'Chrisma, in sacramento confirmationis adhibendum, debet esse a *competenti ministro* consecratum'». *Ratio:* Ex documentis — cf. *AAS* 27, 1935, 11; 38, 1946, 349, 354, 356 — apparet saepes aepius sacerdotes facultatem confirmandi generalius accepisse; unde conveniens videtur, ut sacerdotes in istis casibus etiam s. chrisma confidere valeant. Praeterea notandum talem facultatem pro Polonia quondam datum esse; cf. Decr. S. Congr. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis diei 21.III.1916.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit apud Theologos valde dubitari num concessio oleum consecrandi presbyteris fieri possit.

Rev.mus Secretarius ad. ponit quaestionem utrum dicendum sit in canone «a ministro competente» an «ab Episcopo».

Rev.mus quintus Consultor affirmit quod ad validitatem requiritur ut Episcopus oleum consecret sed potest concedi a Sancta Sede ut consecratio fieri possit a presbyteris.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut in canone 780 duae paragraphi habeantur ita ut in § 2 ponatur norma canonis 781. Proponit etiam novum canonem in quo sermo fiat de intima connexione inter Baptismum et Confirmationem sequenti modo: «ut S. Confirmationis intima cum tota initiatione christiana connexio eluceat, promissiones Baptismi renovent Sacramentum Confirmationis receptui».

Rev.mus quintus Consultor suggerit ut novum canonem, textum sequentuem, ex Decr. *Sacrosanctum Concilium* n. 71 desumptum: «ritus Confirmationis recognoscatur etiam ut huius Sacramenti intima connexio cum tota initiatione christiana clarius eluceat; quapropter renovatio promissionum Baptismi convenienter ipsam Sacramenti susceptiōnem praecedet».

Omnes Consultores consentiunt de textu a Rev.mo Secretario ad. proposito.

Caput I
DE MINISTRO CONFIRMATIONIS

Can. 782

Ad § 1: Rev.mus primus Consultor ponit quaestionem de verbo «ordinarius» et proponit ut scribatur potius «minister originarius», secundum terminologiam Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 26.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod in Const. *Lumen gentium* habetur terminologia theologica, non iuridica; propterea mavult verbum «ordinarius».

Exc.mus octavus Consultor proponit ut ponatur utrumque verbum, scilicet «ordinarius» et «originarius»; censet tamen verbum «originarius» dicere plus quam verbum «ordinarius».

Rev.mus quintus Consultor praefert ut verbum «originarius» ponatur in «lege fundamentali» quae valet etiam pro Orientalibus, e contra in Codice qui valet tantum pro Ecclesia latina mavult verbum «ordinarius».

Rev.mus sextus Consultor censet vocabulum «ordinarius» aptum non esse pro § 3 ubi sermo fit de Cardinalibus, etc. qui hac facultate ipso iure gaudent.

Respondet Rev.mus quintus Consultor quod hic sermo fit de ministro ordinario, non de potestate ordinaria.

Rev.mus primus Consultor declarat quod distinctio inter ministrum ordinarium et ministrum extraordinarium non est facienda; praefert ut dicitur Episcopos esse ministros originarios, alios vero esse tantum ministros qui potestatem habent sacramentum ministrandi; refert in America Latina generatim non Episcopos sed sacerdotes Sacram Confirmationem ministriare.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod consuetudo illa Americae latinae tamquam exceptio habenda est; tamen de se et per se minister Ordinarius S. Confirmationis est Episcopus.

Animadvertisit Rev.mus quintus Consultor Episcopum semper valide conferre S. Confirmationem; idem vero non dici posse de aliis; propterea minister ordinarius est solus Episcopus.

Exc.mus octavus Consultor instat ut in textu addatur etiam vocabulum «originarius» ita ut melius eluceat connexio cum Codice Fundamentali.

Fit suffragatio; quaeritur utrum poni debeat in textu verbum «originarius» an verbum «ordinarius» an utrumque verbum.

Exc.mus septimus et Rev.mi quintus, secundus, quartus Consultores et Secretarius ad. preferunt verbum «ordinarius».

Exc.mus octavus et Rev.mus tertius Consultores praferunt « originarius et ordinarius ».

Rev.mi sextus et etiam primus Consultores praferunt « originarius ».

Itaque maioritas praefert tantum verbum « ordinarius ». Referentia tamen fiet in nota, ad Const. *Lumen Gentium*, n. 26, ad Decr. *Ad gentes*, et ad *Legem fundamentalem*.

Ad § 2: Rev.mus primus Consultor censem vitandam esse locutionem « ministro extraordinario », nec loquendum esse putat de indulto apostolico, quia ex una parte vigore facultatum decennalium haec facultas in concerto datur Episcopis, et ex alia parte, proponit ut haec facultas Episcopis tanquam ordinaria agnoscatur (cf. Decr *Christus Dominus*, n. 8, a, et *Principia quae Codicis iuris canonici recognitionem dirigant*, p. 8, n. 4).

Textum proponit: « Presbyteri possunt quoque sacramentum confirmationis conferre si ad hoc debita gaudeant facultate sive iure communi, sive a competenti auctoritate concessa ».

Exc.mus octavus Consultor scribit in suo voto: « Liceat episcopo dioecesano deputare aliquem sacerdotem, in dignitate forsan constitutum, iuxta normas a Conferentia episcopali definiendas, ut sacramentum administret quando:

a) ipse per ipsum, alio episcopo deficiente, hoc ministerium adimplere nequit;

b) confirmandi tam numerosi sunt ut caeremoniae, absque alterius ministri ministerio, diutius protraherentur ».

Exc.mus septimus Consultor censem conveniens esse ut Episcopi concedere possint sacerdotibus facultatem confirmandi. Quocum consentiunt Rev.mi quartus, primus et tertius Consultores.

Rev.mus quintus Consultor suggerit ut dicatur in textu quod Episcopi, quantum id fieri potest, curent ut confirmationem administrent per se vel per alium Episcopum, ut tamen ad bonum fidelium facultatem confirmandi concedere possint etiam certis presbyteris.

Rev.mus secundus Consultor consentit de suggestione Rev.mi quinti Consultoris quia censem auctoritatem Episcopi sublimari, si ipse concedere possit aliis sacerdotibus facultatem confirmationem ministrandi. Praeterea proponit:

1) ut canon conficiatur, in quo in § 1 sermo fiat de ministro ordinario et in § 2 sermo fiat de ministro extraordinario confirmationis « qui est presbyter cui iure communi aut speciali concessione a competenti auctoritate facta haec facultas concessa sit ».

2) ut canon conficiatur ex § 3 in quo sermo fiat de iis qui ipso iure facultate confirmationem ministrandi gaudent: in n. 1 de iis qui, intra fines sui territorii, iure Episcopo diocesano aequiparantur, e contra in n. 2 de iure quoad eos qui in periculo mortis versantur;

3) ut novus canon conficiatur ubi sermo fiat de auctoritate Episcopi concedendi facultatem confirmandi certis presbyteris, in casibus peculia-ribus.

Rev.mus primus Consultor affirmat quod facultas confirmandi eos qui in periculo mortis versantur unicuique sacerdoti tribuenda sit.

Rev.mus quintus Consultor declarat quod facultas confirmandi eos qui in periculo mortis versantur reservari debet parocho, reservatione non formalis, ita ut alii sacerdotes non excludantur.

Rev.mus sextus Consultor affirmat quod oportet ut expresse dicatur facultatem presbytero, ut ministro extraordinario, concessam, ad validitatem requiri.

Respondent Rev.mi Secretarius ad. et secundus Consultor quod haec facultas necessario est ad validitatem, quia data est vi iuris communis aut peculiaris concessionis a competenti auctoritate factae.

Ad §§ 4, 5: Rev.mus Secretarius ad. petit utrum possint supprimi necne.

Rev.mus primus Consultor ad § 4 censet, praescriptum, cum Orientales confirmationem celebrent simul cum baptismo, vix utilitatem afferre; ad § 5 exoptat ut principium generale affirmetur vi cuius unusquisque, nisi adsit gravis causa, in proprio ritu confirmationem recipere debet.

Textum canonis 3 (CIC 782) proponit Rev.mus Secretarius adiunctus, ut sequitur: « Ipso iure facultate confirmationem ministrandi gaudent:

1) qui iure aequiparantur Episcopis diocesanis (intra fines sui territorii);

2) quoad eos qui in periculo mortis versantur dumtaxat, parochi, immo omnes sacerdotes; parocho vero non impedito, non licet aliis presbyteris hoc sacramentum ministrare ».

Placet omnibus textus propositus.

Can. 783

Exc.mus octavus Consultor proponit ut adiungatur canoni tertia paragraphus sequenti modo: « Si extraneus confirmationem petit, ne admittatur nisi a proprio parocho praesentetur ».

Exc.mus nonus Consultor scribit in voto addenda esse verba sequentia: «Obligatio instruendi et praeparandi paroecianos ad huius Sacramenti susceptionem imprimis incumbit parocho et iis qui curam habent animarum».

Rev.mus primus Consultor censet:

1) § 1 servandam esse, deleta tamen mentione de prohibitione, quae numquam datur in praxi:

2) § 2 servandam esse sed p[re] oculis habendum esse documentum S. Sedis de usu insignium pontificalium

Rev.mus sextus Consultor aestimat ad § 1 omittendam esse clausulam «nisi obstet...» quia talis prohibitio non videtur rationalis; ad § 2 vero censet una cum Rev.mo secundo Consultore omittenda esse verba «sine baculo et mitra».

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem: «§ 1. Episcopus in sua dioecesi sacramentum confirmationis legitime administrat etiam extraneis, qui a proprio parocho praesentantur. § 2. Ut in aliena dioecesi confirmationem licite ministret, indiget licentia saltem rationabiliter praesumpta Ordinarii loci, nisi agatur de propriis subditis quibus privatim confirmationem conferat».

Rev.mus primus Consultor aestimat supprimendam esse formulam «qui a proprio parocho praesentantur» quia Episcopo est videre quomodo ipsi constet de congrua praeparatione confirmandi.

Exc.mus septimus et Rev.mus quintus Consultores censem e contra servandam esse formulam, quia Episcopus debet habere, uti fit pro matrimonio, testimonium parochi proprii.

Fit suffragium: omnes Consultores exceptis Rev.mis primo et sexto Consultoribus preferunt textum uti est cum formula: «qui a proprio parocho praesentantur».

Rev.mus sextus Consultor suggerit ut can. 783 ante canonem 782 ponatur.

§§ 4-5. Placet Omnibus.

Can. 784

Rev.mus primus Consultor notat in voto quod canon debet restringi ad casus extra periculum mortis et proponit etiam «ut de vetito nihil dicatur».

Rev.mus quartus Consultor proponit ut omittatur verbum «apostolico».

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequenti modo emendatum: « Presbyter facultate confirmationem ministrandi gaudens, in sibi designato territorio confirmationem extraneis quoque licite confert, non vero in alieno territorio, nisi in casu periculi mortis ad normam can. 4, 2º ».

Rev.mus primus Consultor censem addendam esse clausulam de presentatione confirmandi ex parte parochi. Propterea proponit ut adiungatur post « extraneis » clausula « a proprio parocho praesentatis »; quod placet.

Exc.mus septimus Consultor animadvertisit hic non solum de extraneis sermonem faciendum esse sed etiam de propriis.

Rev.mus primus Consultor proponit ut omittatur verbum « extraneis ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut omittantur verba « nisi in casu periculi mortis », et dicatur in ultima linea « eam vero in alieno territorio, nemini valide confert salvo can. 4, 2º ».

Placet omnibus, ita ut textus sit: « Presbyter facultate confirmationem ministrandi gaudens, in sibi designato territorio confirmationem extraneis a proprio parocho praesentatis quoque licite confert; eam vero in alieno territorio, nemini valide confert, salvo can. 4, 2º ».

Can. 785

Rev.mus primus Consultor aestimat ad § 1 omittendam esse mentionem de tempore visitationis dioecesis et ad § 3 sufficiens esse ut generalis obligatio inculcetur, deleta mentione de quinquennio.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut deleatur verbum « apostolico » ad § 2 et omittantur §§ 3, 4.

Exc.mus septimus Consultor proponit ut retineantur tantum §§ 1, 4.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut omittatur § 4 quia sufficit mentio generali modo facta in can. 274, n. 4.

Rev.mus sextus Consultor ad § 3 notat quod quinquennium nunc, saltem pro Confirmatione, est tempus nimis longum; deberet minui ad biennium, seu saltem alternis annis; secus multi iuvenes qui instructionem catechetica finiunt, Confirmationem non accipient nec tunc nec postea. Affirmat etiam quod, si Episcopus per se vel per alium Episcopum Confirmationem suis subditis ministrare non potest statim temporibus (alternis annis), expediret ut talem facultatem praebere possit v.g. Vicariis Generalibus vel Episcopalibus, vel alii sacerdoti in dignitate (?) constituto, praeter illos de quibus in n. 1, 13 motu proprio *Pastorale Munus*, nisi his haec facultas a iure concedatur. Proponit in fine ut haec potestas concedatur etiam Vicario Capitulari, sede vacante.

Censem ipse quoque § 4 omitti posse.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum canonis sequenti modo emendatum: «§ 1. Episcopus dioecesanus obligatione tenetur sacramentum confirmationis subditis rite et rationabiliter potentibus conferendi, praesertim tempore visitationis dioecesis.

§ 2. Eadem obligatione tenetur presbyter qui facultate donatur, erga eos in quorum favorem facultas concessa est».

Rev.mus primus Consultor ad § 1 suggerit ut adiungatur post verba «obligatione tenentur» formula «per se vel alium»; quod omnibus placet.

Rev.mus quintus Consultor ad § 1 proponit ut omittantur verba «praesertim tempore visitationis dioecesis»; Rev.mus sextus Consultor proponit verbum «frequenter» loco verborum «praesertim tempore visitationis...»; Exc.mus septimus Consultor praefert ut § 1 maneat uti est.

Rev.mus quartus Consultor aestimat, si tolluntur verba «praesertim tempore visitationis...» tollenda esse etiam verba «per se vel per alium». Rev.mus primus Consultor declarat quod formula «per se vel per alium» ponenda est, quia si Episcopus est impeditus, obligatus est ad delegandum.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod hoc iam dictum est in novo canone 5: «curet Episcopus dioecesanus ut, quatenus id fieri possit, confirmationem administret per se aut per alium Episcopum...».

Rev.mus primus Consultor animadvertisit in novo canone 5 sermonem fieri de possibilitate non vero de obligatione.

Rev.mus quintus Consultor ad § 2 proponit verbum «gaudet» loco verbi «donatur» ita ut omittantur verba «vi sive ipsius iuris sive peculiaris facultatis»; quod omnibus placet.

Rev.mus tertius Consultor praefert formulam «pari obligatione» loco formula «eadem obligatione».

Maioritas Consultorum e contra praefert verbum «eadem».

Itaque Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequenti modo emendatum: «§ 1. Episcopus dioecesanus obligatione tenetur per se vel per alium sacramentum confirmationis subditis rite et rationabiliter potentibus conferendi.

§ 2. Eadem obligatione tenetur presbyter qui hac facultate gaudet, erga eos in quorum favorem facultas concessa est».

Placet omnibus.

Caput II
DE CONFIRMATIONIS SUBJECTO

Can. 786

Exc.mus octavus Consultor scribit, in voto, si adultus Confirmationem petit, requiri ut sufficienter instructus sit, sed etiam vitam vere christianam ducere intendat.

Exc.mus nonus Consultor in voto scribit sequentia: «ad c. 786 addenda sunt verba: 'Obligatio instruendi et praeparandi paroecianos ad huius Sacramenti susceptionem imprimis incumbit parocho et iis qui curam habent animarum'».

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem: «§ 1. Confirmationis recipienda capax est omnis et solus homo baptizatus, nondum confirmatus.

§ 2. Ut quis licite (et fructuose) confirmationem recipiat requiritur ut sit in statu gratiae constitutus atque, si usu rationis pollet, sufficienter instructus ».

Ipse Rev.mus Secretarius ad. ponit quaestionem utrum verbum «fructuose» manere debeat necne. Ipse censet verbum «fructuose» omittendum esse quia non est iuridicum sed theologicum.

Omnes alii praeferunt ut verbum «fructuose» maneat.

Rev.mus primus Consultor censet formulam «si adultus» tolli posse, quia sufficiens videtur formula praecedens «si usus rationis pollet».

Exc.mus septimus Consultor praefert quod dicit in voto Exc. mus octavus Consultor, scilicet «si adultus confirmationem petit, requiritur ut sufficienter instructus sit, sed etiam vitam vere christianam ducere intendat».

Rev.mus secundus Consultor declarat quod qui confirmationem recipit habere debet implicite intentionem vitam christianam ducendi; secus non esset in statu gratiae.

Rev.mus sextus Consultor petit utrum mentio fieri debeat de statu gratiae necne.

Respondet Rev.mus quintus Consultor quod sufficit ut dicatur «rite dispositus» loco formulae «in statu gratiae constitutus»: agitur de materia iuridica; insuper semper vitanda est confusio inter forum internum et forum externum.

Rev.mus sextus Consultor petit utrum infans dici possit «rite dispositus» necne.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod in textu ne dici quidem debet «ut sit in statu gratiae» quia infans baptizatus semper est in statu gratiae.

Omnis Consultores consentiunt de textu sequenti: «§ 1. Confirmatio-nis recipienda capax est omnis et solus homo baptizatus, nondum confir-matus.

§ 2. Ut quis licite et fructuose confirmationem recipiat requiritur ut sit rite dispositus atque, si usu rationis pollet, sufficienter instructus».

Can. 787

Rev.mus sextus Consultor in voto scribit quod formula «nemini tamen licet... illud negligere» dicatur modo positivo, scilicet fideles obligari ad il-lud suscipiendum.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem: «Licet Sacramen-tum confirmationis non sit de necessitate medii ad salutem, fideles obliga-tione tenentur illud tempore opportuno recipiendi; curent qui curam ha-bent animarum, praesertim parochi, ut fideles ad hoc Sacramentum reci-piendum debite instruantur et ad illud tempore opportuno accendant».

Rev.mus sextus Consultor affirms bene non sonare formulam «curent qui curam habent».

Rev.mus quintus Consultor proponit verbum «pastores» loco formulae «curent qui curam habent».

Placet omnibus, ita ut textus sit: «Licet sacramentum confirmationis non sit de necessitate medii ad salutem, fideles obligatione tenentur illud tempore opportuno recipiendi; curent animarum pastores, praesertim pa-rochi, ut fideles ad hoc sacramentum recipiendum debite instruantur et ad illud tempore opportuno accendant».

Can. 788

Rev.mus quintus Consultor declarat in voto: «quod attinet ad subiec-tum, aetas, qua confirmatio ordinarie confertur, potest opportune relinqu-i consuetudini locali; respective Conferentia Episcoporum hac de re nor-mam directivam statuat».

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem: «Sacramentum confirmationis conferatur infantibus circa aetatis annum consuetudine loci aut Episcoporum Conferentia decreto determinatum, nisi infans sit in pe-riculo mortis aut, de iudicio ministri, gravis causa aliud suadeat».

Rev.mus sextus Consultor praeferit aliud verbum loco «infantibus» quia vocabulum «infans» se refert ad pueros ante septem annos natos.

Rev.mus Secretarius ad. proponit vocabulum « fidelibus » loco « infantibus »; quod placet. Rev.mus primus Consultor mallet vocabulum « infans » quod in iure est idem ac « puer ». Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod vocabulum « infantibus » innuere potest sacramentum confirmationis ante septem annum conferri, itaque et ipse praefert vocabulum « fidelibus ». Rev.mus quartus Consultor proponit ut verba « infans sit » tollantur, ita ut ultima pars canonis ita sonet: « ... nisi in casu periculo mortis aut, si de iudicio ministri, gravis causa aliud « suadeat »; quod placet omnibus.

Itaque textus canonis erit: « Sacramentum confirmationis conferatur fidelibus circa aetatis annum consuetudine loci aut Episcoporum Conferentia decreto determinatum, nisi in casu periculi mortis aut, si de iudicio ministri, gravis causa aliud suadeat ».

Can. 789

Rev.mi sextus, primus et secundus Consultores censem canonem omitti posse et libris liturgicis relinqui.

Exc.mus septimus et Rev.mus quartus Consultores proponunt ut canon maneat uti est.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut canon omittatur quia valorem iuridicum non habet.

Concordant omnes ut canon 789 expungatur et res ad ius liturgicum remittatur.

Caput III

DE TEMPORE ET LOCO CONFIRMATIONIS CONFERENDAE

Can. 790

Exc.mi septimus, nonus et Rev.mi quartus et primus Consultores proponunt un canon maneat uti est.

Rev.mus sextus Consultor censem canonem omittendum esse tamen declarat, si retinendus sit, dicatur tantum « in die Pentecostes », cum octava non habeatur.

Exc.mus octavus Consultor censem unamquemque dominicam esse diem festum Domini et Spiritus Sancti.

Rev.mus primus Consultor proponit « valde decet » loco « decet » Rev.mus sextus Consultor proponit « expedit » loco « decet ».

Exc.mus septimus Consultor declarat quod Sacramentum confirmationis conferri potest non tantum in die Pentecostes aut in aliis diebus Domini, sed quovis tempore.

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem textum: « Sacramentum confirmationis quovis tempore conferri potest»; qui textus placet omnibus.

Can. 791

Rev.mus sextus Consultor proponit ut omittatur. Exc.mi septimus,onus, Rev.mus primus et alii Consultores p[re]ferunt ut canon maneat.

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem textum: « Licet expediat ut Sacramentum confirmationis in ecclesia ut quidem intra Missam, ministretur, ex causa tamen iusta et rationabili potest extra Missam et quolibet loco digno conferri». Placet omnibus.

Can. 792

Rev.mus sextus Consultor scribit in voto canonem hunc omitti posse. Omnes alii proponunt ut servetur.

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem emendationem: « Episcopo ius est et sacerdotibus... ». Rev.mus primus Consultor proponit vero sequentem emendationem: « Ministro ius est infra territorio assignato... ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem textum: « Episcopus intra fines suae dioecesis itemque presbyter intra fines loci sibi designati, confirmationem, quoque exemptis, administrare potest».

Rev.mus quintus Consultor non consentit de textu a Rev.mo Secretario ad. proposito, quia censet sufficiens non esse dicere « Episcopus intra fines suae dioecesis in locis quoque exemptis confirmationem administrari potest».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod sufficit dicere « administrare potest » quia non agitur de validitate.

Rev.mus sextus Consultor affirmat quod non sufficit dicere « Episcopus intra fines suae dioecesis », quia hoc modo excluditur facultas aliorum episcoporum qui confirmationem administrare possunt in alieno territorio.

Exc.mus octavus Consultor declarat quod omitti debet in textu mentio de aliis presbyteris quia sufficit ut sermo fiat de Episcopo. Rev.mus quartus Consultor suggerit sequentem emendationem: « Episcopus per se vel per alium... ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem textum: « Intra territorium in quo confirmationem conferre valent, ministri in locis exemptis quoque eam ministrare possunt ». Placet omnibus.

Caput IV DE PATRINIS

Exc.mus octavus Consultor in voto scribit sequentia: « ut notat Codex, ex vetustissimo Ecclesiae more, etiam in confirmatione adhibendus est patrinus. An vero haec antiqua consuetudo servanda sit? Munus patrini confirmationis minime grave videtur. Valde optandum est ut patrinus baptisi sit quoque patrinus confirmationis, si vere consuetudo servanda sit ».

Rev.mus quintus Consultor declarat in voto: « quod attinet patrinum, secundum can. 793, ipse adhibendus est ex vetustissimo Ecclesiae more. Si hoc etiam in posterum opportunum habeatur, dispositiones canonicae hac de re simpliciores fieri possint, in specie cognatio spiritualis amplius non videtur sustinenda ».

Rev.mus secundus Consultor affirmat quod praxis habetur omnino diversa pro diversis regionibus; praeterea impossibile videtur unum principium statui.

Rev.mus quintus Consultor aestimat servandum esse, sed non ut obligatorium, institutum patrini in sacramento confirmationis.

Omnes Consultores concordant de suggestione a Rev.mo quinto Consultore proposita.

Can. 793

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem emendationem: « Ex vetustissimo Ecclesiae more, in confirmatione quantum id fieri possit, adsit patrinus ». Placet omnibus.

Can. 794

Supprimatur canon secundum omnes excepto Exc.mo septimo Consultore qui mavult ut canon servetur.

Can. 795

Omnis conveniunt ut in hoc canone repetatur textus qui probatus est de baptismo, sed aptatus confirmationi.

Placet omnibus.

Can. 796

Exc.mus octavus Consultor declarat quod rationes non desunt ut patrinus confirmationis, si possibile sit, sit patrinus baptismi. Animadvertisit ipse

quoque de qualitate morali patrini vix aliquid in Codice statui, et requiri ut dicatur quod patrinus vitae christiana fulgens, testimonium praebere debet.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut n. 1 et 2 supprimantur et n. 3 sequenti modo mutetur: «ut quis licite ad patrini munus admittatur oportet ut requisitis satisfaciat in can. 18 de baptimate statutis».

Placet omnibus.

Can. 797.

Rev.mus tertius Consultor petit utrum impedimentum cognitionis spiritualis inter confirmatum et patrinum cadat necne.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod cognatio spiritualis cedit, quia non est amplius impedimentum pro matrimonio et proponit sequentem textum: «Patrini, ex suscepto munere, est curare ut confirmatus verus Christi testis se gerat obligationesque eidem sacramento inhaerentes fideli-ter adimpleat».

Placet omnibus.

Caput V

DE COLLATAE CONFIRMATIONIS
ADNOTATIONE ET PROBATIONE

Can. 798

Concordant omnes ut canon servetur.

Can. 799

Rev.mus primus Consultor declarat quod inscriptio confirmationis fieri debet in paroecia, ubi confirmatio administrata fuit praeter adnotacionem in libro baptizatorum.

E contra Rev.mus Secretarius ad. una cum Rev.mo quarto Consultore qui praxim in Italia vigentem refert, affirmit quod inscriptio confirmationis fieri debet in paroecia ubi confirmatus baptizatus est in calce libri baptismi et in paroecia ubi parentes confirmati habent domicilium.

Rev.mus quintus Consultor refert canonem 470, § 1, ubi statuitur «habeat parochus libros paroeciales, idest librum baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum...».

Concordant omnes ut canon maneat uti est.

Can. 800

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum can. 29 (CIC 779) de baptismo, mutatis mutandis, idest: «Ad collatam confirmationem comprobandum, si nemini fiat praeiudicium, sufficit declaratio unius testis omni exceptione maioris, aut ipsius confirmati iusurandum, si ipse in aetate adulata confirmationem receperit».

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS
(Cann. 780-800 CIC)

Textus a Rev.mo Secretario ad. propositus est sequens:

Can. 1 (CIC 780-781)

§ 1. Sacramentum confirmationis conferri debet per manus impositiōnem cum unctione chrismatis in fronte, ipsa ministri manu facta, et per verba in probatis liturgicis libris praescripta.

§ 2. Chrisma, in sacramento confirmationis adhibendum, debet esse ab Episcopo consecratum, etiamsi sacramentum a presbytero, vi ipsius iuris aut peculiaris concessionis, ministretur.

Can. 2

Ut sacramenti confirmationis intima cum tota initiatione christiana connexio eluceat, promissiones baptismi renovent confirmationem recepturi.

Caput I
DE MINISTRO CONFIRMATIONIS

Can. 3 (CIC 782 § 1)

§ 1. Ordinarius confirmationis minister est Episcopus.

§ 2. Extraordinarius confirmationis minister est presbyter, cui haec facultas vi iuris communis aut peculiaris concessionis a competenti auctoritate factae competit.

Can. 4 (CIC 782 § 3)

Ipsa iure facultate confirmationem ministrandi gaudent:

- 1° intra fines sui territorii, qui iure Episcopo dioecesano aequiparantur;
- 2° quoad eos qui in periculo mortis versantur parochi, immo omnes presbyteri; parocco autem non impedito, aliis presbyteris confirmationem ministrare non licet.

Can. 5

Curet Episcopus dioecesanus ut, quatenus id fieri possit, confirmationem administret per se aut per alium Episcopum; quod si adiuncta loci vel temporis id requirant, facultatem concedere potest Episcopus dioecesanus certo presbytero vel certis presbyteris; qui hoc sacramentum administrant.

Can. 6 (CIC 782, §§ 4-5)

Solis fidelibus sui ritus licite confirmationem conferunt tum presbyter latini ritus qui facultate confirmandi ad normam can. 5 gaudet, tum presbyter ritus orientalis qui eadem facultate ipso iure aut concessione peculiari pollet.

Can. 7 (CIC 783)

§ 1. Episcopus in sua dioecesi sacramentum confirmationis legitime administrat etiam extraneis, qui a proprio parocco praesentantur.

§ 2. Ut in aliena dioecesi confirmationem licite ministret, indiget licentia saltem rationabiliter praesumpta Ordinarii loci, nisi agatur de propriis subditis quibus privatim confirmationem conferat.

Can. 8 (CIC 784)

Presbyter facultate confirmationem ministrandi gaudens, in sibi designato territorio confirmationem extraneis, quoque licite confert, non vero in alieno territorio nisi in casu periculi mortis ad normam can. 4, 2°.

Can. 9 (CIC 785)

§ 1. Episcopus dioecesanus obligatione tenetur sacramentum confirmationis subditis rite et rationabiliter potentibus conferendi, praesertim tempore visitationis dioecesis.

§ 2. Eadem obligatione tenetur presbyter qui hac facultate gaudet, erga eos in quorum favorem facultas concessa est.

Caput II

DE CONFIRMATIONIS SUBIECTO

Can. 10 (CIC 786)

§ 1. Confirmationis recipienda capax est omnis et solus homo baptizatus, nondum confirmatus.

§ 2. Ut quis licite et fructuose confirmationem recipiat requiritur ut sit rite dispositus atque, si usu rationis pollet, sufficienter instructus.

Can. 11 (CIC 787)

Licet sacramentum confirmationis non sit de necessitate medii ad salutem, fideles obligatione tenentur illud tempore opportuno recipiendi; current animarum pastores, praesertim, ut fideles ad hoc sacramentum recipiendum debite instruantur et ad illud tempore opportuno accedant.

Can. 12 (CIC 788)

Sacramentum confirmationis conferatur fidelibus circa aetatis annum consuetudine loci aut Episcoporum Conferentia decreto determinatum, nisi in casu periculi mortis aut, de iudicio ministri, gravis causa aliud suadeat.

Caput III

DE TEMPORE ET LOCO CONFIRMATIONIS CONFERENDAE

Can. 14 (CIC 790)

Sacramentum confirmationis quovis tempore conferri potest.

Can. 15 (CIC 791)

Licet expedit ut sacramentum confirmationis in ecclesia, et quidem intra Missam, ministretur, ex causa tamen iusta et rationabili potest extra Missam et quolibet loco digno conferri.

Can. 16 (CIC 792)

Intra territorium in quo confirmationem conferre valent, ministri in locis exemptis quoque eam ministrare possunt.

Caput IV

DE PATRINIS

Can. 17 (CIC 793)

Ex vetustissimo Ecclesiae more, in confirmatione, quantum id fieri possit, adsit patrinus.

Can. 18 (CIC 795)

Ut quis patrinus esse valeat, oportet:

1º sit confirmatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;

2º religionem profiteatur catholicam, nec sit ulla ex poenis de quibus in can. 17 (de baptismo), n. 3 per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam notatus;

3º non sit pater aut mater aut coniux confirmandi;

4º sit a confirmando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a ministro vel a parocho designatus.

Can. 19 (CIC 796)

Ut quis licite ad munus patrini admittatur, requisitis satisfaciat canone 18 (de baptismo) statutis.

Can. 20 (CIC 797)

Patrini, ex suscepto munere, est curare ut confirmatus ut verus Christi testis se gerat obligationesque eidem sacramento inherentes fideliter adimplat.

Caput V

DE COLLATAE CONFIRMATIONIS
ADNOTATIONE ET PROBATIONE

Can. 21 (CIC 798)

Parochus debet nomina confirmatorum, mentione facta ministri, parentum et patrini, loci et diei confirmationis collatae, in confirmationis libro sedulo referre, itemque de collata confirmatione monere parochum loci in quo confirmati baptizati sunt, ut adnotatio fiat in libro baptizatorum, ad normam can. 470, § 2.

Can. 22 (CIC 799)

Si proprius confirmati parochus praesens non fuerit, eundem de collata confirmatione minister per se vel per alium quamprimum certiorem faciat.

DISCEPTATIO DE TEXTU A REV.MO SECRETARIO AD. PROPOSITO

Can. 1 (CIC 780-781)

Rev.mus quintus Consultor proponit ut post verbum «presbytero» adiungantur verba «ad normam canonum 3 § 2, 4 et 5 ministretur»; placet omnibus et probatur canon ita emendatus.

Can. 2 (novus)

Placet, uti est, omnibus Consultoribus.

Caput I

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS

Can. 3 (CIC 782 § 1)

Placet omnibus uti est.

Can. 4 (CIC 782 § 3)

Rev.mus sextus Consultor ad n. 2 loco verborum «parocho non impedito» praeferat aliam formulam.

Placet omnibus uti est.

Can. 5 (novus)

Rev.mus sextus Consultor proponit ut adiungatur «... in primis vicario generali».

Placet canon uti est, secundum omnes.

Can. 6 (CIC 782 §§ 4-5)

Placet omnibus uti est.

Can. 7 (CIC 783)

Omnes Consultores excepto Rev.mo primo, concordant de canone uti est.

Rev.mus primus Consultor proponebat ut formula de prasentatione confirmandi ex parte parochi supprimeretur.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut canon ponatur ante canonem sextum; quod admittitur.

Can. 8 (CIC 784)

Placet omnibus uti est.

Can. 9 (CIC 785)

Placet omnibus uti est.

Caput II**DE CONFIRMATIONIS SUBIECTO***Can. 10 (CIC 786)*

Placet omnibus.

Can. 11 (CIC 787)

Placet omnibus.

Can. 12 (CIC 788)

Placet omnibus.

Caput III

DE TEMPORE ET LOCO CONFIRMATIONIS CONFERENDAE

Can. 14 (CIC 790)

Textus placet uti est, secundum omnes.

Can. 15 (CIC 791)

Rev.mus sextus Consultor proponit ut verbum «potest» ponatur post «conferri».

Placet textus uti est, cum suggestione a Rev.mo sexto Consultore proposita.

Can. 16 (CIC 792)

Placet omnibus uti est.

Caput IV

DE PATRINIS

Can. 17 (CIC 793)

Placet uti est, secundum omnes.

Can. 18 (CIC 795)

Rev.mus quartus Consultor ad n. 4 proponit ut verba «a parocho» ponantur ante verba «a ministro»; quod placet. Probatur ita textus.

Can. 19 (CIC 796)

Placet omnibus, uti est; attamen loco verbi «satisfaciat» admittitur «satisfacere debet».

Can. 20 (CIC 797)

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur «tamquam verus Christi testis» loco «ut verus...».

Textus placet uti est cum emendatione a Rev.mo Secretario ad. proposita.

Caput V

DE COLLATAE CONFIRMATIONIS ADNOTATIONE ET PROBATIONE

Can. 21 (CIC 798)

Rev.mus Secretarius ad. proponit:

- 1) ut loco « patrini » dicatur « patrinorum »;
- 2) ut loco « in confirmationis libro » ponatur « in confirmatorum libro ».

Textus placet uti est cum emendationibus a Rev.mo Secretario ad. propositis.

Can. 22 (CIC 799)

Textus canonis placet omnibus uti est.

III

DISCEPTATIO DE EXTREMA UNCTIONE

Quaestio de titulo

Exc.mi octavus et septimus atque Rev.mi secundus et sextus Consultores nomini « extrema unctione » praferunt nomen « unctione infirmorum » ut clarius indicetur relatio cum infirmitate, et non cum morte.

Rev.mus primus Consultor nomini « extrema unctione » praefert nomen « sacra infirmorum unctione » vel « unctione infirmorum ».

Placet omnibus titulus « unctione infirmorum » iuxta Constitutionem *Sacrosanctum Concilium* n. 73: « extrema unctione, quae etiam et melius unctione infirmorum vocari potest ».

Can. 937

Rev.mus primus Consultor scribit in voto textum uti est nimis ieunum esse circa naturam huius sacramenti eiusque finalitatem; attamen censem, si materia in Cocode fundamentali tractetur, ipsum canonem omitti posse.

Alii ut Exc.mus septimus et Rev.mus quartus Consultores praferunt ut canon maneat uti est.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut canon maneat mutatis verbis «extremae unctionis».

Placet omnibus.

Rev.mus tertius Consultor petit utrum oleum olivarum sit ad validitatem an sufficiat oleum ex grano.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut in canone dicatur «tantum oleum benedictum».

Exc.mus octavus Consultor declarat quaestionem respicere Magisterium Ecclesiae.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut pro momento servetur canon ut est et suggerit ut quae situm de hac materia ad S. Congregationem pro doctrina Fidei mittatur; quod omnibus placet.

Caput I

DE MINISTRO EXTREMAE UNCTIONIS

Can. 938

Exc.mus octavus Consultor proponit ut diaconus quoque habeatur ut minister extraordinarius huius sacramenti.

Rev.mus sextus Consultor declarat quod servato principio quod per se unctio infirmorum pertinet ad parochum, maiores facultates tribuendae sunt caeteris sacerdotibus ex. gr. cappellanis in nosocomiis.

Rev.mus primus Consultor ad § 2 censet vitandam esse terminologiam de «ministro ordinario», quia «significatio huius qualificationis analogica est in theologia sacramentali, et in iure canonico».

Rev.mus Secretarius ad. petit utrum mentio facienda sit in canone de cappellanis in nosocomiis necne.

Em.mus Praeses declarat quod si de cappellanis in nosocomiis mentio fit, etiam mentio facienda est de aliis.

Respondet Rev.mus sextus Consultor quod munus cappellani in nosocomiis est officium; ergo ius ministrandi sacramentum unctionis infirmorum ipsi competit ex officio.

Rev.mus Secretarius ad. declarat quod officium et ius ministrandi unctionem infirmorum est parochi loci in quo infirmus deget.

Rev.mus quintus Consultor ad § 2 non concordat cum Rev.mo primo Consultore qui censet vitandam esse terminologiam de «ministro ordinario» quia «minister ordinarius» ille est qui habet facultatem ex ipso iure; expressio est traditionalis in iure.

Aestimat Rev.mus Secretarius ad. in hoc casu omitti posse verbum « ordinarius » ad vitandam ambiguitatem, et proponit ut dicatur « officium et ius est parocho loci ». Itaque petit utrum dicendum sit in canone « ius et officium est parochi loci », an « minister ordinarius est parochus loci ».

Exc.mus octavus atque Rev.mi tertius, primus, sextus et secundus Consultores atque Secretarius ad. suffragium dant pro formula: « ius et officium est parocho loci ».

Exc.mus septimus et Rev.mus quintus Consultores e contra suffragium dant pro formula « minister ordinarius est parochus loci ».

Ergo maioritas Consultorum convenit de formula « ius et officium est parocho loci ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit semper ad § 2, ut loco « autem » post « in casu » ponatur particella « tamen »; quod placet omnibus.

Can. 939

Rev.mus sextus Consultor censem in canone dicendum esse ministrum ordinarium teneri ex iustitia administrare hoc sacramentum.

Rev.mus secundus Consultor aestimat canonem supprimendum esse quia non opportunum videtur ut sermo fiat « de obligatione ex iustitia » pro unoquoque sacramento; sufficit vero ut in Codice sermo fiat de obligatione generali, qua minister ordinarius tenetur ad ministranda sacramenta.

Consentient omnes ut canon expungatur.

Caput II DE SUBJECTO UNCTIONIS INFIRMORUM

Can. 940

Ad § 1: Ponitur quaestio utrum hoc sacramentum ministrandum sit soli fideli qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur an etiam fideli qui, post adeptum usum rationis gravi infirmitate vel morbo laborat.

Rev.mus quintus Consultor declarat quod ipsa Costitutio *Sacrosantum Concilium*, n. 73, congruenter ad constantem traditionem, unctionem infirmorum refert ad tempus, quo subiectum, propter infirmitatem vel senium, est in periculo mortis. Proinde censem retinendam esse dispositionem can. 940 § 1 et propositiones ut hoc sacramentum in quavis infirmitate alicuius momenti administrari possit, non admittendas esse, non ulti-

mo loco, quia e vita christianorum recordatio mortis eliminari non debat.

Exc.mus octavus Consultor affirmat quod in Constitutione *Sacrosanctum Concilium* de Liturgia, declaratur: «Extrema Unctio, quae etiam et melius «Unctio Infirmorum» vocari potest, NON EST Sacramentum eorum TANTUM qui in extremo vitae discrimine versantur».

Censet, salvo meliore iudicio, optandum esse ut hoc sacramentum administretur etiam fideli qui, post adeptum rationis usum, gravi infirmitate vel morbo laborat. Etenim non raro, propter mortis timorem, fidelis ac consanguinei sacramentum infirmorum postulare dubitant. Praeterea sunt fideles, gravi infirmitate vel morbo laborantes, (cancer, sclérose en plaques, polyomiélite, tuberculose osseuse), qui, per plures annos, adminiculo sacramenti privantur quia in periculo mortis nondum versantur.

Rev.mus secundus Consultor declarat quod Concilium sane loquitur mitius: «Tempus opportunum eam recipiendi iam certe habetur cum fidelis incipit esse in periculo mortis propter infirmitatem vel senium» (Const. *Sacr. Conc.*, n. 73). Ratio huius expressionis habetur in disceptationibus theologorum quas Concilium noluit solvere in Constitutione disciplinari prout notavit Exc.mus Hallinam: «Abstractione facta ab his omnibus quae circa subiectum huius Sacramenti a theologis disputantur, retenta sententia magisterii, a qua recedere non licet in Constitutione disciplinari, declaratur per verbum certe iam omnes conditiones tam validae quam licitae susceptionis huius Sacramenti habere quando aegrotus incipit in periculo mortis esse» (Emendationes, VII, 15).

Rev.mus primus Consultor item refert textum Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 73, et concludit ipse, quod clare appetat in prima parte voluntas extendendi Sacramentum omnibus qui graviter aegrotant sed non versantur in extremo vitae discrimine; quod in secunda parte, e contra, appetat voluntas restringendi sacramentum iis tantum qui incipiunt esse in periculo mortis ob infirmitatem vel senium.

Em.mus Praeses censet gravem infirmitatem, si vere gravis sit, iam containeri periculo mortis. Itaque declarat Sacramentum unctionis ministrari posse omnibus qui graviter aegrotant.

Rev.mus secundus Consultor affirmat quod verba Concilii Tridentini (sess. XIV. *De Sacramento Extremae Unctionis*, c. 3) iuxta interpretationem Theologorum significant gravem infirmitatem; textus Conc. Trid. est: «Declaratur etiam esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur, unde et sacramentum exeuntium nuncupatur». Particula «praesertim» non significat etiam leviter aegrotantibus administrandam esse

Extremam Unctionem, sed inter graviter laborantes his praecipue conferendam esse qui in periculo vitae sunt. Patres enim Tridentini noluerunt recedere a doctrina Concilii Florentini et a consueta praxi Ecclesiae, quae nititur in interpretatione verborum Apostoli Iacobi. Itaque aestimat retinenda esse verba can. 940 § 1, ne locus detur errori vel confusione in modo agendi.

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem textum § 1: «Unctio infirmorum paeberi potest tantum illis qui post adeptum usum rationis, gravi infirmitate vel senio laborant». Notat referentiam esse faciendam ad Concil. Trid.

Ad § 2: Rev.mus primus Consultor animadvertisit Patres in Concilio negavisse iterationem Sacramenti in eadem infirmitate; notat etiam quod apud Orientales Sacramentum iteratur.

Rev.mus secundus Consultor petit utrum in diurna infirmitate sacramentum iterari possit necne; affirmat ipse quod Concilium non voluit hanc quaestionem solvere.

Rev.mus sextus Consultor refert quod dicitur in Sess.XIV, Cap.III Concilii Tridentini: «quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerit, iterum huius sacramenti subsidio iuvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen incederint».

Exc.mus octavus Consultor animadvertisit dolendum esse hoc sacramentum, eadem infirmitate durante, una tantum vice paeberi posse.

Ipse affirmat quod quidam proponunt hoc sacramentum iterari posse una vice per mensem, morbo vel infirmitate gravi perdurante.

Rev.mus secundus Consultor declarat quod formula Codicis est satis flexibilis et simul tuta ut mutanda non videatur; legit deinde sequentia quae in voto scripsit: «Hoc confirmatur ex ratione agendi ipsius Concilii Vaticani II. Aderant enim in Schemate Const. *Sacrosanctum Concilium* art. 60: ‘Unctio sacra in diurna infirmitate aliquando iterari potest’. Attamen haec verba suppressa fuerunt post suffragationem in aula. Nam ut exponit Relator circa emendationem sextam, quae de hac suppressione agit: ‘Ex desiderio plurimorum Patrum Commissio proponit suppressionem huius articuli circa iterationem Unctionis sacrae in diurna infirmitate, ne Concilium intret in questiones disputatas’ (Emendationes, VII, 16)».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut in textu ponatur:

- 1) verba «ne iteretur» loco «iterari non potest»;
- 2) «eadem infirmitate durante» loco «in eadem infirmitate»;

3) «in gravem quandam infirmitatem iterum inciderit» loco «in aliud vitae discrimen inciderit».

Exc.mus octavus Consultor petit ut in relatione mentio fiat de propria sententia. Quae ita sonat: «Hoc sacramentum iterari potest morbo vel infirmitate gravi perdurante».

Can. 941

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut canon supprimatur.

Em.mus Praeses ponit quaestionem de casu quo dubium adsit de morte: praesumptio stat pro collatione sacramenti; aestimat normam canonis utilem esse.

Rev.mus primus Consultor declarat quod norma huius canonis ad trac-tationem moralem pertinet.

Rev.mus Secretarius ad. petit utrum canon supprimi debeat necne.

Quinque Consultores (septimus, sextus, secundus, quintus et tertius) contra tres (octavus, primus et Secretarius ad.) consentiunt ut canon reti-neatur.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequenti modo emendatum: «In dubio num infirmus rationis usum attigerit, num gravis sit infirmitas qua afficitur vel num mortuus sit, hoc sacramentum ministretur».

Placet omnibus.

Can. 942

Rev.mus Secretarius ad. animadvertisit vitandam esse mixtionem inter forum internum et forum externum et declarat quod in Codice sermo non est faciendus de peccato mortali et de peccato veniali; itaque proponit ut potius dicatur: «qui delictum commiserint» loco verborum «qui imponen-tentes in manifesto peccato mortali...» quia delictum praesupponit gra-vem culpam; aut omitti potest canon.

Rev.mus quintus Consultor animadvertisit in canone sermonem fieri de illis qui in «manifesto» peccato perseverant et eundem canonem relatio-nem habere cum canone 1240 ubi privantur sepultura ecclesiastica illi qui ante mortem aliqua non dederint poenitentiae signa: declarat quod tum in canone 942 tum in canone 1240 agitur semper evidenter de foro externo. Canon 1240 se refert ad illos qui cum sui compotes essent non dederunt signa poenitentiae, dum can. 942 se refert ad illos qui sensus vel usum ra-tionis amiserunt.

Iuxta Rev.mum secundum Consultorem can. 942 comprehendit tum

casum illorum qui sensus vel usum rationis amiserunt tum casum illorum qui suae mentis compotes sunt.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum canonis sequenti modo emendatum: « Unctio infirmorum ne conferatur illis qui graviter deliquerunt et in contumacia manifesto perseverant ».

Proponit etiam ut ultima pars canonis supprimatur.

Concordant omnes.

Can. 943

Rev.mus primus Consultor declarat quod canon est nimis casuisticus; tamen censem canonem manere posse.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut tollantur verba « verisimiliter petiissent ».

Rev.mus secundus Consultor censem agendum esse de modo vivendi infirmorum, quia scire non possumus quid ipsi petierunt aut verisimiliter petiissent.

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem formulam: « ... p[ro]ae suo vivendi modo id in votis est... ».

Rev.mus primus Consultor proponit ut servetur formula Codicis, omissis verbis « verisimiliter petiissent ».

Rev.mus Secretarius ad. suggerit aliam formulam scilicet: « sua vivendi ratione saltem implicite petierunt ».

Rev.mus sextus Consultor petit quid accidat si quis non vivit christiano modo et tamen explicite petit Sacramentum.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod haec est alia quaestio et de petitione explicite facta tractatur in canone praecedente.

Rev.mus quintus Consultor declarat quod votum debet esse saltem implicatum in modo vivendi infirmi, quia hoc minimum requiri debet, et proponit: « qui sua vivendi ratione fidem professi sunt ».

Ipse Rev.mus Secretarius ad. petit utrum sufficiens sit formula « qui saltem implicite petierunt » an aliqua additio facienda sit. Fit suffragatio.

Exc.mus octavus et Rev.mi quintus et quartos Consultores atque Secretarius ad. praeferunt ut formulae « qui saltem implicite petierunt » aliquid adiungatur; e contra Rev.mi primus, sextus, secundus et tertius Consultores, praeferunt formulam sine aliqua addictione. Itaque suffragatio dat sequentem exitum: quattuor contra quattuor.

Rev.mus secundus Consultor animadvertisit in Codice adesse norman magis latam in formula Rev.mi Secretarii ad. quia in canone dicitur: « saltem implicite petierunt aut verisimiliter petiissent »; e contra in formula

Rev.mi Secretarii ad. dicitur tantum « sua vivendi ratione saltem implicite petierunt ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut suffragatio iterum fiat, cum Exc.mus septimus Consultor praesens erit.

Placet omnibus.

Can. 944

Rev.mus quintus Consultor proponit ut omittantur verba « per se non sit de necessitate medii ad salutem ».

Exc.mus octavus Consultor animadvertisit in hoc canone declarari: « ... Nemini licet illud negligere »; censem vero exhortationem ut fideles hoc sacramentum recipient apertius pronuntiandam esse.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequenti modo emendatum: « Curent animarum pastores atque infirmi propinquiores, ut tempore opportuno infirmi, dum sui plene compotes sunt, hoc sacramentum recipient ».

Rev.mus primus Consultor suggerit ut post verbum « recipient » adjungantur verba « et ipsi petant sacramentum ».

Rev.mus sextus Consultor petit ut tempus opportunum determinetur, ad mentem Concilii.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod tempus opportunum determinatur, ex quo infirmus infirmitate vel senio laborat, ut dicitur in can. 940.

Placet textus a Rev.mo Secretario ad. propositus.

Caput III

DE RITIBUS ET CAERIMONIIS EXTREMAE UNCTIONIS

Can. 945

Rev.mus sextus Consultor censem canonem omittendum esse quia res est evidens.

Rev.mus primus Consultor petit utrum deficiente oleo infirmorum, oleum catechumenorum adhiberi possit necne; notat etiam quod apud Orientales sacerdos ipse qui sacramentum ministrat, oleum quoque benedicit.

Rev.mus quintus Consultor animadvertisit disciplinam posse esse variam in Ecclesia latina et in Ecclesiis Orientalibus.

Rev.mus sextus Consultor non videt cur requiratur ut concessio facultatis oleum benedicendi, Sanctae Sedi, reservari debeat.

Etiam Rev.mus primus Consultor aestimat reservationem tollendam esse in Codice et facultatem benedicendi oleum infirmorum amplius concedendam esse.

Rev.mus quintus Consultor declarat quod quaestio posita est doctrinalis, et aestimat requiri sententiam Summi Pontificis ad hanc normam condendam; proponit ut ultima pars canonis sequenti modo emendetur: «... ad hoc benedictum ab Episcopo vel ab eis qui iure Episcopo dioecesano aequiparantur».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut canon relinquatur uti est cum nota, in qua petitur, pro Episcopo facultas tradendi presbytero facultatem oleum infirmorum benedicendi et pro presbytero qui hanc facultatem obtinuerit a S. Sede, facultas, in casu necessitatis, eam tradendae aliis presbyteris.

Rev.mus primus Consultor proponit ut Commissio petat a S. Sede pro presbyteris facultatem benedicendi oleum infirmorum in casu necessitatis.

Rev.mus secundus Consultor petit ut formula qua haec facultas conceditur sit magis clara ne exurgant dubia de validitate sacramenti.

Exc.mus octavus Consultor declarat quod petitio Sanctae Sedi facienda respicere debet:

- 1) iterationem sacramenti unctionis infirmorum;
- 2) oleum adhibendum in sacramento infirmorum ministrando;
- 3) facultatem presbytero concedendam oleum benedicendi.

Concordant omnes ut tres ponantur quaestiones Summo Pontifici.

Can. 946

Concordant omnes ut canon omittatur, quia sufficit quod iam dictum est, modo generali, in prima sessione huius Coetus. Scilicet: «*Can. 735 – § 1.* Parochus olea sacra a proprio Episcopo impetrat, eaque in Ecclesia, decenti custodia, diligenter asservet.

§ 2. Cuilibet sacerdoti licet oleum infirmorum secumferre, ut, in casu necessitatis, unctionem infirmorum ministrare valeat».

Can. 947

Ad § 1: Servetur, secundum omnes, deletis ultimis verbis «salva obligatione singulas unctiones supplendi...».

Exc.mus octavus Consultor proponit quod legitur in Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 75, scilicet: « Unctionum numerus pro opportunitate accommodetur ».

Placet omnibus.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut supprimatur verbum « accurate »; quod non placet.

Ad § 2. Consentunt omnes ut expungatur.

Ad § 3. Consentunt omnes ut supprimatur.

Ad § 4. Rev.mus primus Consultor declarat quod si adest gravis ratio unctionis fieri potest adhibito instrumento. Placet emendatio proposita.

DE UNCTIONE INFIRMORUM

(Cann. 937-947 CIC)

Textus a Rev.mo Secretario ad. propositus est sequens:

Can. 1 (CIC 937)

Unctio infirmorum conferri debet per sacras unctiones, adhibito oleo olivarum rite benedicto, et per verba in probatis liturgicis libris praescripta.

Caput I

DE UNCTIONIS INFIRMORUM MINISTRO

Can. 2 (CIC 938)

§ 1. Unctionem infirmorum valide administrat omnis et solus sacerdos.

§ 2. Salvo praescriptio can. 937, n. 3; 514, §§ 1-3, officium et ius unctionem infirmorum ministrandi est parocho loci in quo dedit infirmus; in casu tamen necessitatis, aut de licentia saltem praesumpta eiusdem parochi aut Ordinarii loci, alias quilibet sacerdos hoc sacramentum licite ministrat.

Caput II
DE UNCTIONIS INFIRMORUM SUBIECTO

Can. 3 (CIC 940)

§ 1. Unctio infirmorum tantummodo ministrari potest fidi, qui post adeptum rationis usum gravi infirmitate vel senio laborat.

§ 2. Eadem infirmitate durante hoc sacramentum ne iteretur; conferri vero potest ei qui post susceptam unctionem convaluerit et in gravem quandam infirmitatem iterum inciderit.

Can. 4 (CIC 941)

In dubio num infirmus rationis usum attigerit, num gravis sit infirmitas qua afficitur vel num mortuus sit, hoc sacramentum ministretur.

Can. 5 (CIC 942)

Unctio infirmorum ne conferatur illis qui graviter deliquerunt et in contumacia manifesto perseverant.

Can. 6 (CIC 943)

Infirmis qui, cum suae mentis compotes essent, hoc sacramentum implicite saltem petierunt, conferatur (aut: Conferatur hoc sacramentum graviter infirmis qui, cum sui compotes essent, illud petierint implicite, fide saltem quam vitae suae ratione professi sunt).

Can. 7 (CIC 944)

Quamvis unctio infirmorum per se non sit de necessitate medii ad salutem, fideles tempore idoneo illud recipient; curent praesertim animarum pastores et infirmorum propinqui ut eidem tempore opportuno hoc sacramento sustententur (alleventur).

Caput III
DE RITIBUS ET CAEREMONIIS UNCTIONIS INFIRMORUM

Can. 8 (CIC 945)

Oleum olivarum, in sacramento unctionis infirmorum adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ad Episcopo aut a presbytero qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit.

Can. 9 (CIC 947)

§ 1. Unctiones verbis, ordine et modo in probatis liturgicis libris praescripto, accurate peragantur; in casu tamen necessitatis sufficit unctio unica in fronte, vel etiam in aliquo sensu, cum praescripta quidem breviore forma.

§ 2. Unctiones peragat minister propria manu, nisi gravis ratio usum instrumenti suadeat.

DISCEPTATIO DE TEXTIBUS A REV.MO SECRETARIO
AD. PROPOSITIS

Can. 1 (CIC 937)

Placet omnibus uti est.

Caput I

DE UNCTIONIS INFIRMORUM MINISTRO

Can. 2 (CIC 938)

Placet omnibus uti est.

Caput II

DE UNCTIONIS INFIRMORUM SUBIECTO

Can. 3 (CIC 940)

Exc.mus septimus Consultor ponit quaestionem utrum illis qui gravi infirmitate mentis — quae nullum secum fert periculum mortis — labo-rant, conferri possit sacramentum unctionis infirmorum necne.

Rev.mus primus Consultor censet in hoc casu sacramentum conferri posse, quia secundum Concilium Tridentinum (Sess. XXV, Cap. 2) effec-tus sacramenti unctionis infirmorum non videntur coartari tantummodo ad periculum mortis.

Em.mus Praeses declarat:

- 1) ad effectus obtainendos sacramenti unctionis infirmorum sufficit ut infirmus habeat habitualem dispositionem ad illum recipiendum;
- 2) quoad vero periculum mortis, omnis infirmitas gravis, hoc periculum secumfert.

Rev.mus sextus Consultor, circa eos qui morbo mentis laborant censemt ipsis hoc sacramentum conferendum non esse, quia illa infirmitas non secumfert periculum mortis.

Rev.mus primus Consultor respondet quod qui morbo mentis laborant incipiunt esse in periculo mortis.

Exc.mus octavus Consultor affirms quod, si hoc sacramentum conferri potest iis qui ob senium in periculo mortis versantur, a fortiori conferri debet iis qui morbo mentis laborant.

Em.mus Praeses petit num hoc sacramentum conferri debeat ante condemnationem, iis qui capite dannati sunt.

Respondet Rev.mus primus Consultor quod in sua natione sacramentum datur post talem condemnationem. Exc.mus octavus Consultor aestimat hoc sacramentum conferri posse iis qui capite damnati sunt.

Textus canonis 3 (CIC 940) placet uti est, secundum omnes.

Can. 4 (CIC 941)

Placet omnibus uti est.

Can. 5 (CIC 942)

Textus canonis placet uti est.

Can. 6 (CIC 943)

Rev.mus quintus Consultor ad secundam formam propositam, declarat quod cum formula « fide saltem... » illud dicitur quod ut minimum sit postulandum. Praefert tamen primam redactionem.

Rev.mus sextus Consultor praefert primam redactionem, quia modus dicendi in secunda redactione non videtur bonus.

Em.mus Praeses aestimat secundam redactionem esse contortam quia cum formula « fide saltem... » explicare intendit anteriorem formulam scilicet « illud petierint implicite »; etiam Rev.mus primus Consultor praefert primam redactionem.

Rev.mus secundus Consultor praefert primam formam, quia est eadem

formula Codicis, quam dicit per multos annos iam adhiberi et nunquam fecisse difficultatem.

Rev.mus tertius Consultor praefert primam redactionem quia in secunda redactione formula «fide saltem, etc...» videtur nimis strictior.

Fit suffragatio:

Exc.mus septimus atque Rev.mi primus, quartus, sextus, secundus et tertius Consultores preferunt primam formam.

Rev.mi Secretarius ad. et quintus Consultor preferunt secundam redactionem emendatam.

Exc.mus octavus Consultor est anceps.

Itaque maioritas consentit de prima forma.

Can. 7 (CIC 944)

Em.mus Praeses proponit ut dicatur «subleventur» loco «sustententur» aut «alleventur»; quod placet.

Rev.mus sextus Consultor praefert «recipere debent» loco «recipient».

Rev.mus primus Consultor e contra praefert «recipient», quia hoc verbo magis directe incitentur fideles ut sacramentum recipient.

Em.mus Praeses et Rev.mus sextus Consultor proponunt pronomen «iidem» loco «eidem».

Rev.mus sextus Consultor proponit ut ultima pars sequenti modo emendetur: «curent praeceps animarum pastores et infirmorum propinquique ut tempore opportuno hoc sacramentum, iidem subleventur».

Textus canonis cum emendatione Rev.mi sexti Consultoris placet omnibus.

Caput III

DE RITIBUS ET CAERIMONIIS UNCTIONIS INFIRMORUM

Can. 8 (CIC 945)

Consentiant omnes ut, pro nunc, canon maneat uti est.

Can. 9 (CIC 947)

Rev.mus sextus Consultor petit utrum ad § 2 sufficiat ut dicatur «suadeat» necne. Verbum «suadeat» sufficit, secundum omnes.

Itaque textus placet uti est, secundum omnes.

DISCEPTATIO DE «QUAESITIS» SANCTAE SEDI
PROPONENDIS ET A REV.MO SECRETARIO AD. PARATIS

Textus a Rev.mo Secretario ad. propositus:

QUAESITA

I

Ad normam can. 937, Unctio infirmorum conferri debet per sacras unctiones, adhibito *oleo olivarum* rite benedicto. Quaeritur utrum statui possit necne hanc Unctionem conferri posse per unctiones, adhibito oleo naturali, videlicet adhibito oleo sive ex olivis sive ex aliis fructibus aut plantis proveniente. Praescriptum ita emendatum magis accommodatum esset moribus regionum, in quibus non utuntur oleo olivarum, immo in quibus quandoque hoc oleum non ita facile acquiri potest.

Quare, proponitur ut ita emendari possit praescriptum canonis: «Unctio infirmorum conferri debet per sacras unctiones, adhibito rite benedicto oleo ex olivis aliisve fructibus aut plantis proveniente, et per verba in probatis liturgicis libris praescripta».

II

Ad normam can. 945, oleum olivarum, in sacramento Unctionis infirmorum adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo vel a presbytero qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit.

Haec facultas cum dari possit ab Apostolica Sede, etiam dari potest ab eadem suprema Auctoritate vi ipsius iuris. Quaeritur ut eadem facultate vi ipsius iuris gaudeant:

1º qui in iure Episcopo diocesano aequiparantur, ne presbyteri talis territorii a vicina dioecesi oleum obtainere debeant;

2º in casu necessitatis, omnes presbyteri, ne umquam defectus olei benedicti sit ratio ob quam sacramentum ministrari non possit.

Proponitur itaque ut canon ita emendetur:

§ 1. Oleum in Unctione infirmorum adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo aut a presbytero qui vi ipsius iuris aut peculiaris concessionis S. Sedis hac facultate gaudet.

§ 2. Ipso iure oleum adhibendum in Unctione infirmorum benedicere possunt:

- 1° qui iure Episcopo dioecesano aequiparantur;
- 2° in casu verae necessitatis, quilibet presbyter.

III

Ad normam can. 949, § 2, «In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam infirmitatem convaluerit, et in aliud vitae discrimen inciderit».

Cum hoc sacramentum non imprimat characterem, et, ad normam canonis citati, iterari possit, nulla Coetui Commissionis appareat esse ratio stringens ob quam prohibeat ne repetitis vicibus Unctio infirmorum ministretur eadem gravi infirmitate durante, si collatio huius sacramenti ad levamen aegrotantis revera conferri possit.

Quare proponitur ut praescriptum statui possit ita emendatum: «Etiam eadem gravi infirmitate durante, hoc sacramentum iterari potest, si id, de iudicio ministri, ad aegrotantis levamen reapse conferat».

a) *Ad primum quaesitum*

Rev.mus sextus Consultor animadvertisit etiam petroleum esse naturale. Itaque dicendum non esse «adhibito oleo naturali».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur in explicatione canonis: «adhibito oleo vegetali» loco «oleo naturali». Placet omnibus.

Textus vero canonis placet uti est secundum omnes.

b) *Ad secundum quaesitum*

Rev.mus sextus Consultor proponit ut ad § 2 omittatur formula «ipso iure»; quod non admittitur.

Rev.mus primus Consultor ad § 2, n. 2 proponit ut tollatur verbum «verae» ad dubia vitanda.

Textus placet uti est secundum omnes.

c) *Ad tertium quaesitum*

Rev.mus quintus Consultor proponit ut formula «nulla coetui Commissionis appareat ratio stringens» sequenti modo mutetur: «coetui Commissionis non appareat adesse ratio...».

Placet omnibus.

Rev.mus secundus Consultor censet textum uti est excedere compen-
tiam huius Commissionis. Declarat quae situm modo interrogativo facien-
dum esse scilicet «Commissio petit utrum valida sit reiteratio huius sacra-
menti, si collatio ipsius sacramenti ad levamen aegrotantis revera confer-
tur».

Em.mus Praeses aestimat:

1° faciendas esse propositiones quae iudicio auctoritatis submittuntur
ad petendum quid faciendum de iteratione huius sacramenti;

2° adiungendum esse quod Concilium Vaticanum II noluit quaestio-
nem dirimere;

3° dicendum esse quod rationes pastorales adsunt propter quas sacra-
mentum unctionis infirmorum in gravi infirmitate iterandum esse videtur.

Rev.mus quartus Consultor declarat quod I et III quae sita pertinent ad
S. Congr. pro doctrina fidei; e contra II quae situm pertinet ad S. Congr.
de Sacramentis.

Ad III quae situm concordant omnes ut proponatur alio modo.

DETERMINATUR MATERIA IN PROXIMA
SESSIONE HUIUS COETUS TRACTANDA
scilicet recognitio canonum de Sanctissima Eucaristia
(Cann. 801-869 CIC)

OBSERVATIONES GENERALES DE IIS QUAE RESPICIUNT
SANCTISSIMAM EUCARISTIAM

Em.mus Praeses suggerit ut multa de Sanctissima Eucaristia desuman-
tut ex decretis Concilii Vaticanii II.

Rev.mus sextus Consultor censet insistendum esse sacrificio eucharisti-
stico.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut pro tractatione de Sacramento
Eucaristiae attendatur ad ea quae iam dicta sunt in Codice Fundamenta-
li, idest: «Can. 65: § 1. Augustissimum Sacramentum est Sanctissima
Eucaristia, qua continuo vivit et crescit Ecclesia. Sacrificium Eucharisti-
cum, memoriale mortis et resurrectionis Domini, in quo Sacrificium

Crucis in saecula perpetuatur, totius vitae christianaee est culmen et fons, quo significatur et efficitur unitas Populi Dei et Corporis Christi aedificatio perficitur.

§ 2. Eucharisticum celebrare Sacrificium, dirigente quidem Episcopo qui communitati praeest, opus est sacerdotum; qui suum munus maxime exercent in hoc eucharstico cultu vel synaxi, qua in persona Christi agentes Eiusque mysterium proclamantes, vota fidelium sacrificio Capitis ipsorum coniungunt, et unicum Sacrificium Novi Testamenti, Christi scilicet Sese immaculatam hostiam offerentis (cf. *Hebr* 9, 11-28), repreäsentant et applicant ».

Rev.mus primus Consultor censet non servandam esse duplēm divisionem Codicis, sed servandum esse ordinem Codicis fundamentalis.

Rev.mus secundus Consultor aestimat valde difficile esse a priori dispositionem statuere.

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem ordinem:

- 1) de ministro;
- 2) de subiecto;
- 3) de ritibus et caerimoniiis;
- 4) de tempore et loco;
- 5) de stipendiis.

Em.mus Praeses petit utrum de stipendis sermo fit in tractatu de bonis ecclesiasticis, necne.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod melius est in hoc loco sermonem facere de stipendiis.

Rev.mus quintus Consultor censet institutum stipendii missarum renovandum esse: stipendia Missae sunt contributiones fidelium ad sustentationem clericorum et hoc, aestimat, dicendum est.

Rev.mus primus Consultor petit ut Exc.mi decimus, septimus et octavus Consultores exponant proprias experientias pastorales de hac re.

Rev.mus Secretarius ad. quaerit ut vota de Sanctissima Eucaristia mitantur ante finem mensis Augusti.

NICOLAUS PAVONI

Actuarius

WILLELMUS ONCLIN

Secretarius ad.

APPENDIX I

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT
DE BAPTISMO, DE QUO IN CIC CAN. 737-779*Can. 1 (CIC 737)*

§ 1. Baptismus valide confertur tantummodo per ablutionem aquae verae cum praescripta verborum forma.

§ 2. Baptismus ministratur sive forma sollemniore, scilicet omnibus servatis ritibus et caeremoniis quae in probatis ritualibus libris praecipiuntur, sive forma simpliciore.

Caput I

DE MINISTRO BAPTISMI

Can. 2 (CIC 738)

§ 1. Minister ordinarius baptismi est sacerdos aut diaconus, salvo quidem iure parochorum de quo in can..., necnon servatis probatorum liturgicorum librorum praescriptis.

§ 2. Absente aut impedito sacerdote et diacono, licite baptismum administrat catechista, immo in casu necessitatis quilibet homo, servatis quidem librorum liturgicorum praescriptis.

Can. 3 (CIC 739)

In alieno territorio nemini licet, sine debita licentia, baptismum sollemnem conferre ne sui quidem loci incolis.

Can. 4 (CIC 744)

Adultorum baptismus, ubi commode id fieri possit, ad loci Ordinarium deferatur, ut, si id expedire iudicaverit, ab eo aut ab eius delegato sollemnius conferatur.

Caput II
DE BAPTISMI SUBIECTO

Can. 5 (CIC 745)

Baptismi recipiendi capax est omnis et solus homo nondum baptizatus.

Can. 6 (CIC 747)

Fetus abortivi, si vivant, quantum id fieri possit baptizentur.

Can. 7 (CIC 749)

Infans expositus aut inventus nisi, re diligenter investigata, de eius baptismo constet, baptizetur.

Can. 8 (CIC 750-751)

§ 1. Ut infans licite baptizetur, oportet:

1° ut spes habeatur fundata eum in religione catholica educatumiri;

2° ut parentes, saltem eorum unus, aut qui legitime eorundem locum tenent, consentiunt.

§ 2. Infans, sive parentum catholicorum sive etiam non catholicorum, qui in eo versetur vitae discrimine ut prudenter praevideatur moriturus ante quam usum rationis attingat, licite baptizatur, dummodo ambo parentes, aut ei qui legitime eorundem locum tenent non sint expresse contrarii.

Can. 9 (CIC 752)

§ 1. Adultus ut baptizari possit, requiritur ut voluntatem suam baptismum recipiendi manifestet et sufficienter fidei veritatibus sit instructus.

§ 2. Adultus qui in periculo mortis versatur baptizari potest, si aliquam de praecipuis fidei veritatibus habeat cognitionem et quovis modo intentionem suam baptismum recipiendi manifestaverit.

Can. 10 (novus)

§ 1. Qui dubie baptizatus est, dubio quidem post seriam investigationem permanente, baptizetur.

§ 2. Qui in aliqua Communitate ecclesiali non catholica baptizatus est, praesumitur valide baptizatus et baptizari non potest, nisi inspecta liturgica forma in baptismo collato adhibita, necnon attenta intentione ministri baptizantis, constet in casu baptismum invalide fuisse collatum.

§ 3. Quod si, in casibus de quibus in §§ 1 et 2, dubia remaneat baptissimi collatio aut validitas, baptismus ne conferatur nisi postquam ipsi baptizando, si sit adultus, doctrina de baptismi sacramento exponatur, atque, quando ritus baptismi iteretur, eidem baptizando aut, si de infante agatur, eius parentibus rationes dubiae validitatis ritus iam celebrati declarentur.

Caput III

DE RITIBUS ET CAEREMONIIS BAPTISMI

Can. 11 (CIC 756)

§ 1. Proles ritu parentum baptizetur.

§ 2. Si alter parentum ad ritum latinum pertineat, alter ad aliquem ritum orientalem, proles ritu patris baptizetur, nisi aliud iure speciali cautum sit.

§ 3. Si unus tantum parentum sit catholicus, proles ritu catholico baptizetur, secundum normas peculiares aut praescripta Episcoporum Conferentiae regionis.

Can. 12 (CIC 757)

Extra casum necessitatis, baptismus ne conferatur nisi cum aqua ad hoc benedicta.

Can. 13 (CIC 758)

Baptismus conferri potest sive per infusionem sive per immersionem, iuxta Episcoporum Conferentiae regionis praescripta.

Can. 14 (CIC 759)

Infans extra ecclesiam baptizatus, congruo tempore ad ecclesiam deferratur ut in eadem praesentetur.

Can. 15 (CIC 761)

Curent parochi ut ei qui baptizatur non imponatur nomen a sensu christiano alienum.

Caput IV
DE PATRINIS

Can. 16 (CIC 762)

Ex vetustissimo Ecclesiae more, nemo baptizetur nisi suum habeat, quantum id fieri possit, patrinum.

Can. 17 (CIC 764)

Patrinus unus tantum, eiusdem vel diversi a baptizando sexus, vel etiam unus et una adhibeantur.

Can. 18 (CIC 765)

Ut quis patrinus esse valeat, oportet:

1° sit baptizatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;

2° religionem profiteatur catholicam; frater seiunctus, si ad normam legitimorum praescriptorum admitti valeat, nonnisi una cum alio patrino catholico admittatur.

3° non sit sententia condemnatoria vel declaratoria excommunicatus nec infamis infamia iuris nec exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus;

4° non sit pater aut mater aut coniux baptizandi;

5° sit ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his defi- cientibus, a ministro designatus.

Can. 19 (CIC 766)

Ut quis licite patrinus admittatur, oportet:

1° decimum sextum aetatis suae annum expleverit, nisi gravis causa aliud suadeat;

2° bona fama canonice gaudeat;

3° sit doctrina christiana rite instructus et habilis qui officia patrino propria assumat et adimpleat;

4° non sit in instituto religioso novitus vel professus, nisi necessitas urgeat aut expressa habeatur venia Superioris saltem localis.

Can. 20 (CIC 769)

Patrini, ex suscepto munere, est curare, deficientibus praesertim parentibus, ut baptizatus conscientie vitam christianam baptismati congruam ducat obligationesque eidem inherentes fideliter adimpleat.

Caput V

DE TEMPORE ET LOCO BAPTISM

Can. 21 (CIC 770)

§ 1. Parentes obligatione tenentur curandi ut infantes infra priores post nativitatem hebdomadas baptizentur, et parochi curent ut de hac obligatione fideles debite instruantur.

§ 2. Si infans in periculo mortis versetur, sine mora baptizetur.

Can. 22 (CIC 772)

Licet baptismus quolibet die celebrari possit, serventur de hac re praescripta ab Episcopis Episcoporumve Conferentiis statuta.

Can. 23 (CIC 773)

§ 1. Proprius baptismi in forma sollempniore administrandi locus est baptisterium in ecclesia aut oratorio publico.

§ 2. Salvis iuribus quaesitis, pro regula habeatur ut infans in ecclesia paroeciali parentum baptizetur, nisi gravis causa aliud suadeat.

Can. 24 (CIC 774)

§ 1. Quaelibet ecclesia paroecialis baptismalem habeat fontem, salvo iure cumulativo aliis ecclesiis iam quaesito.

§ 2. Loci Ordinarius potest pro fidelium commoditate permittere vel iubere ut fons baptismalis ponatur etiam in alia ecclesia vel publico oratorio intra paroeciae fines.

Can. 25 (CIC 775)

Si ad ecclesiam paroeciale, aut ad aliam quae iure fontis baptismalis gaudeat, baptizandus, propter locorum distantiam aliave adiuncta, sine

gravi incommodo aut periculo, accedere aut transferri nequeat, baptismus forma sollempni a parocho conferri potest et debet in proxima ecclesia aut oratorio publico intra paroeciae fines, licet haec fonte baptismali careant.

Can. 26 (CIC 776)

Praeter casum necessitatis baptismus ne conferatur in domibus privatis, nisi Ordinarius loci iusta et rationabili de causa id permiserit.

Caput VI

DE COLLATI BAPTISMI PROBATIONE ET ADNOTATIONE

Can. 27 (novus)

Qui baptismum administrat ad normam can. 2 (738) curet ut, quantum id fieri possit, nisi adsit patrinus, habeantur duo testes quibus collatio baptismi probari possit.

Can. 28 (CIC 777)

§ 1. Parochi debent nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus ac patriniis, de loco ac die collati baptismi, in baptizatorum libro sedulo et sine ulla mora referre.

§ 2. Si de illegitimis filiis agitur, matris nomen inserendum est, si publice de eius maternitate constet aut ipsa sponte sua scripto vel coram duobus testibus id petat; item nomen patris inserendum est, si eius paternitas probatur sive publico documento etiam civili sive ipsius declaratione coram parocho et duobus testibus facta; in ceteris casibus, inscribatur baptizatus tanquam filius patris ignoti aut ignororum parentum.

Can. 29 (CIC 778 et novus)

§ 1. Si baptismus nec a parocho nec eo praesente administratus fuerit, minister baptismi, quicumque sit, de collato baptismo certiorem facere debet parochum paroeciae in qua baptismus administratus est.

§ 2. Si baptismus administratus fuerit in paroecia quae non est parentum propria, parochus paroeciae in qua baptismus collatus est, certiorem facere debet parochum paroeciae in qua parentes domicilium aut quasi-domicilium habent; qui parochus paroeciae parentum propriae in baptizato-

rum libro adnotet, mentione facta de nomine baptizati eiusque parentum, se certiorem factum esse infantem in alia paroecia esse baptizatum.

Can. 30 (CIC 779)

Ad collatum baptismum comprobandum, si nemini fiat praeiudicium, sufficit declaratio unius testis omni exceptione maioris, aut ipsius baptizati iusurandum, si ipse in aetate adulta baptismum receperit.

APPENDIX II

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT «DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS» DE QUO IN C.I.C. CANN. 780-800

Can. 1 (CIC 780-781)

§ 1. Sacramentum confirmationis conferri debet per manus impositiōnem cum unctione chrismatis in fronte, ipsa ministri manu facta, et per verba in probatis liturgicis libris praescripta.

§ 2. Chrisma, in sacramento confirmationis adhibendum debet esse ab Episcopo consecratum, etiamsi sacramentum a presbytero ad normam canonum 3, § 2, 4 et 5 ministretur.

Can. 2 (novus)

Ut sacramenti confirmationis intima cum tota initiatione christiana conexio eluceat, promissiones baptismi renovent confirmationem recepturi.

Caput I DE CONFIRMATIONIS MINISTRO

Can. 3 (CIC 782 § 1)

§ 1. Ordinarius confirmationis minister est Episcopus.

§ 2. Extraordinarius confirmationis minister est presbyter, cui haec facultas vi iuris communis aut peculiaris concessionis a competenti auctoritate factae competit.

Can. 4 (CIC 782 § 3)

Ipso iure facultate confirmationem ministrari gaudent:

1° intra fines sui territorii, qui iure Episcopo dioecesano aequiparantur;

2° quoad eos qui in periculo mortis versantur parochi, immo omnes presbyteri; parocco autem non impedito, aliis presbyteris confirmationem ministrare non licet.

Can. 5 (novus)

Curet Episcopus dioecesanus ut, quatenus id fieri possit, confirmationem administret per se aut per alium Episcopum; quod si adiuncta loci vel temporis id requirant, facultatem concedere potest Episcopus dioecesanus certo presbytero vel certis presbyteris, qui hoc sacramentum administrent.

Can. 6 (CIC 783)

§ 1. Episcopus in sua dioecesi sacramento confirmationis legitime administrat etiam extraneis, qui a proprio parocho praesentantur.

§ 2. Ut in aliena dioecesi confirmationem licite ministret, indiget licentia saltem rationabiliter praesumpta Ordinarii loci, nisi agatur de propriis subditis quibus privatum confirmationem conferat.

Can. 7 (CIC 782 §§ 4-5)

Solis fidelibus sui ritus licite confirmationem conferunt tum presbyter latini ritus qui facultate confirmandi ad norman can. 5 gaudet tum presbyter ritus orientalis qui eadem facultate ipso iure aut concessione peculiari pollet.

Can. 8 (CIC 784)

Presbyter facultate confirmationem ministrandi gaudens, in sibi designato territorio confirmationem extraneis a proprio parocho praesentatis quoque licite confert; eam vero in alieno territorio, nemini valide confert salvo can. 4, 2.

Can. 9 (CIC 785)

§ 1. Episcopus dioecesanus obligatione tenetur per se vel per alium sacramentum confirmationis subditis rite et rationabiliter potentibus conferendi.

§ 2. Eadem obligatione tenetur presbyteri qui hac facultate gaudet, erga eos in quorum favorem facultas concessa est.

Caput II
DE CONFIRMATIONIS SUBIECTO

Can. 10 (CIC 786)

§ 1. Confirmationis recipienda capax est omnis et solus homo baptizatus, nondum confirmatus.

§ 2. Ut quis licite et fructuose confirmationem recipit requiritur ut sit rite dispositus atque si usu rationis pollet, sufficienter instructus.

Can. 11 (CIC 787)

Licet sacramentum confirmationis non sit de necessitate medii ad salutem, fideles obligatione tenentur illud tempore opportuno recipiendi; curent animarum pastores, praesertim parochi, ut fideles ad hoc sacramentum recipiendum debite instruantur et ad illud tempore opportuno accedant.

Can. 12 (CIC 788)

Sacramentum confirmationis conferatur fidelibus circa aetatis annum consuetudine loci aut Episcoporum Conferentia decreto determinatum, nisi in casu periculi mortis aut, si de iudicio ministri, gravis causa aliud suadeat.

Caput III
DE TEMPO ET LOCO CONFIRMATIONIS CONFERENDAE

Can. 13 (CIC 790)

Sacramentum confirmationis quovis tempore conferri potest.

Can. 14 (CIC 791)

Licet expedit ut Sacramentum confirmationis in ecclesia, et quidem intra Missam, ministretur, ex causa tamen iusta et rationabili extra Missam et quolibet loco digno conferri potest.

Can. 15 (CIC 792)

Intra territorium in quo confirmationem conferre valent, ministri in locis exemptis quoque eam ministrare possunt.

Caput IV
DE PATRINIS

Can. 16 (CIC 793)

Ex vetustissimo Ecclesiae more, in confirmatione, quantum id fieri possit, adsit patrinus.

Can. 17 (CIC 795)

Ut quis patrinus esse valeat, oportet:

1º sit confirmatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;

2º religionem profiteatur catholicam, nec sit ulla ex poenis de quibus in can. 17 (de baptismo), n. 3 per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam notatus;

3º non sit pater aut mater aut coniux confirmandi;

4º sit a confirmando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficienibus, a parocho vel a ministro designatus.

Can. 18 (CIC 796)

Ut quis licite ad munus patrini admittatur, requisitis satisfacere debet can. 18 (de baptismo) statutis.

Can. 19 (CIC 797)

Patrini, ex suscepto munere, est curare ut confirmatus tanquam verus Christi testis se gerat obligationesque eidem sacramento inhaerentes fideli- ter adimpleat.

Caput V

DE COLLATAE CONFIRMATIONIS ADNOTATIONE ET PROBATIONE

Can. 20 (CIC 798)

Parochus debet nomina confirmatorum, mentione facta ministri, parentum et patrinorum, loci et diei confirmationis collatae, in confirmatorum libro sedulo referre, itemque de collata confirmatione monere paro-

chum loci in quo confirmati baptizati sunt, ut adnotatio fiat in libro baptizatorum, ad normam can. 470, § 2.

Can. 21 (CIC 799)

Si proprius confirmati parochus praesens non fuerit, eundem de collata confirmatione minister per se vel per alium quamprimum certiore faciat.

APPENDIX III

SCHHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT
 «DE SACRAMENTO UNCTIONIS INFIRMORUM»
 DE QUO IN CIC CANN. 637-647

Can. 1 (CIC 937)

Unctio infirmorum conferri debet per sacras unctiones, adhibito oleo olivarum rite benedicto, et per verba in probatis liturgicis libris praescripta.

Caput I
 DE UNCTIONIS INFIRMORUM MINISTRO

Can. 2 (CIC 938)

§ 1. Unctionem infirmorum valide administrat omnis et solus sacerdos.

§ 2. Salvo praecipto can. 397, n. 3; 514, §§ 1-3, officium et ius unctionem infirmorum ministrandi est parocho loci in quo degit infirmus in casu autem necessitatis, aut de licentia saltem praesumpta eiusdem parochi aut Ordinarii loci, alius quilibet sacerdos hoc sacramentum licite ministrat.

Caput II
 DE UNCTIONIS INFIRMORUM SUBJECTO

Can. 3 (CIC 940)

§ 1. Unctio infirmorum tantummodo ministrari potest fideli, qui post adeptum rationis usum gravi infirmitate vel senio laborat.

§ 2. Eadem infirmitate durante hoc sacramentum ne iteretur; conferri vero potest ei qui post susceptam unctionem convaluerit et in gravem quandam infirmitatem iterum inciderit.

Can. 4 (CIC 941)

In dubio num infirmus rationis usum attigerit, num gravis sit infirmitas qua afficitur vel num mortuus sit, hoc sacramentum ministretur.

Can. 5 (CIC 942)

Uncio infirmorum ne conferatur illis qui graviter deliquerunt et in contumacia manifesto perseverant.

Can. 6 (CIC 943)

Infirmis, qui, cum suae mentis compotes essent, hoc sacramentum implicite saltem petierint, conferatur.

Can. 7 (CIC 944)

Quamvis Unctio infirmorum per se non sit de necessitate medii ad salutem, fideles tempore idoneo illud recipient; curent praesertim animarum pastores et infirmorum propinqui ut tempore opportuno hoc sacramento iidem subleventur.

Caput III

DE RITIBUS ET CAEREMONIIS UNCTIONIS INFIRMORUM

Can. 8 (CIC 945)

Oleum olivarum, in sacramento Unctionis infirmorum adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo aut a presbytero qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit.

Can. 9 (CIC 947)

§ 1. Unctio verbis, ordine et modo in probatis liturgicis libris praescripto, accurate peragantur; in casu tamen necessitatis sufficit unctio unica in fronte, vel etiam in aliquo sensu, cum praescripta quidem breviore forma.

§ 2. Unctio peragat minister propria manu, nisi gravis ratio usum instrumenti suadeat.

